



Hunc librum Muis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann





Q. D. B. V.  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
De  
PRÆSTANDO  
Categoricè  
in  
LIBROS SYMBOLICOS  
JURAMENTO;

Quam  
*Indultu Summè Reverendæ Facultatis  
Theologica,*

SUB PRÆSIDIO  
*VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI  
ATQVE EXCELLENTISSIMI*

DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.  
Consistorii Electoralis & Ducalis, nec non Fa-  
cultatis Theologicæ Assessoris gravissimi, Academia Decem-  
Viri, Alumnorum Electoralium Ephori, Collegii B. Mariæ Virgi-  
nis Collegiati, & Polonicæ Nationis  
Senioris,

*Domini Patroni, Hospitis, ac Studiorum suorum Promotoris, omni observantia  
cultu ad cineres usque devenerandi,*  
publicè ventilandam proponit

AUTOR ET RESPONDENS  
ANDREAS ELMERS, Hamb.

*Anno M. DC. XC. d. XIV. Julii,*

H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ, TYPIS GOEZIANIS.





DISSERTATIO THEOLOGICA

DE  
PRAESTANTIA

CATEGORICIS

LIBRIS SYMBOLICIS  
TERRAMENTIS

AVTHORIS  
MAGISTRI  
FRIDERICI  
MILLISIM

MD. D. VAL. ALBERTI, P. P.  
CONSTITUTORIS  
CANTUARII  
VIRI  
IN COLLEGIIS

SCIENTIARUM  
PRAESIDENTIS  
MAGISTRI

ANDREAS BLERS, HAMB.

MDCCCLXXXV







I. N. J.

P R Æ F A T I O.



Ecclesiam inde à suis primordiis heterodoxorum falsiloquiis semper turbatam fuisse, non puto ullum, qui vel leviter Sacrae Historiae cognitionem attigerit, ignorare. Tempore enim Apostolorum jamdum florens primus Hæresiarcha Simon Magus tam copiosam suæ indolis prolem reliquit, ut pessimum lolium ab eo tempore usque huc è puro Ecclesiae tritico eradicari nullâ ratione potuerit. Nam tanta brevissimo temporis spatio incrementa cepit, ut, postquam à *Centuriatoribus Magdeb. Cent. I. c. XI.* modò tres (quanquam ab aliis plures) numerati fuerint Hæretici, præter Simonem Magum scil. Menander Magus & Cerinthus, sic instar zizaniae hoc pessimum hominum genus seipsum multiplicaverit, ut numerum novies ternarium superantem in sequenti statim *Centuria secunda, cap. iterum XI.* hæreticos videlicet XXVIII. recensitos invenire liceat. Et hinc illæ lacrumæ, quas meritò effunderet verus Ecclesiae sinceræ Patronus, si integros numero hæreticorum repletos libros conspicit. Tandem verò sub Papatu Ecclesiam penitus interituram fuisse creditu facillimum est, nî singulari DEI gratiâ illa iterum à Megalandro nostro Luthero purificata, ejusq; Confessio superiori sec. A. 1530. junctâ aliorum Theologorum optimè de nobis meritorum operâ publicè ac solenniter Augustæ Vindelicorum proposita, & in hunc usque diem

A 2

contra



contra quosvis Adversariorum gravissimos insultus masculè de-  
fensa fuisset. Nunc equidem mirum non est, hanc nostram  
Confessionem sinceram & puram, velut sudem in oculis à Papi-  
colis distorqveri, in varios sensus rapi, dilacerari, & calumniis  
innumeris proscindi; vid. imprimis *Thomas Henrici in Anat.*  
*Aug. Confess.* cum illorum res magnoperè agatur, utpote quibus  
maximè hæc confessio opposita est, & qui tantum sibi decedere  
credunt, quantum vera orthodoxorum religio crescit: hoc au-  
tem dolendum est perquam, quòd multi, qui socios ejusdem  
confessionis se profitentur, nihil minus reverà sint, quam veri il-  
lius Aseclæ, quiqve quantum in ipsis est, unico diei spatio ite-  
rum destruerent, quod tanto summè cordatorum virorum pe-  
riculo, tantâ multorum sanguinis profusione, tanto labore cum  
maximo temporis impendio conjuncto ædificatum fuit. Et huc  
referendi sunt aliquot cæteroquin non minimi nominis Theo-  
logi, [nam & in hoste virtus laudanda,] qui cum viderent multis  
jam fidibus ludi unam quasi fidem, huic malo remediũ quærere  
voluerunt, seq; pacificatores inter Lutheranos, Pontificios, Cal-  
vinianos, Remonstrantes & Socinianos (verùm ò infaustos &  
frustraneos!) sistere. Quantum verò malum post se traxerit hæc  
infelix conciliatio, vel ex hoc unico, quod nostri erit instituti,  
patebit. Conati sunt hi pacis studiosi orthodoxos & Pontificios  
imprimis quoque in articulo palmario de justificatione conci-  
liare. Est autem ibi Thesis nostra orthodoxa & in sacris funda-  
ta: Homo justificatur solâ fide, *vid. Rom. III.* Thesis contraria  
verò adversariorum: Non solâ fide homo justificatur, sed etiam  
operibus. Hic jam medium quoddam conciliatorium prome-  
re voluerunt nostri pacificatores conjungendi nos cum Adver-  
sariis, & dixerunt, bona opera minimum ad salutem esse ne-  
cessaria; vide sis omninò *Horneji Repet. de necess. Bon. Opp. it.*  
*ejusd. Disp. de Fide & Bon. Opp. d. 23. Decembr. Ann. 1643. Helme-*  
*stadii habitam; Calixti Appendicem §. 28.* & hoc ipso præterita  
Majoristarum facta non solùm refricarunt, verùm etiam stre-  
nuos



nuos Ecclesiæ orthodoxæ defensores ad prælium provocarunt. Et hinc est illa optima *B. Hülsemanni Brevis Instructio Studios. Lips.* hinc *Ejusdem Gewissens-Wurm & Dialysis Apologetica, Etc.* Cumq; inter alia cū aliis cordatus Hülsemannus urgeret Libros Symbolicos, & quidem Corpus Julium, cui jurati & Hornejus & Calixtus subscripsissent, quòd hanc sententiã de bonis operibus dudum jamdū rejecerit, & quidem additã cautione, neque ea sub necessitate sine qua non, aut quovis alio modo, præter modum meriti, medii, causæ efficientis, vel etiam formalis, oder unter was Schein/oder mit was Titul es sonst geschehen möchte/requirenda esse: vid. *Corpus Julium Part. II. Art. VII. f. 97. seqq.* ausus est respondere Hornejus, se suosq; libris illis non aliter subscripsisse, nisi quatenus cum sacris literis consentirent; de quã re, vid. plura *infra, cap. II.* En egregium Pacificatoris foetum, quem lambat; en medium, quo campus aperitur omnibus heterodoxis, ut Libris nostris Symbolicis optima conscientia subscribere nobisq; palpum obtrudere possint. Et inde quæstio non minimi momenti, vel ex eo solùm, quòd conscientiam obliget, orta: An categoricum in Libros Symbolicos præstandum Juramentum? Quam quæstionem mihi tandem, postquam diu aliquantisper materiam, de qua publicam dissertationem conscriberem, circumspexeram, examinandam elegi, eò fortè chariorem L. B. quò dispersa magis hinc inde in Autoribus colligenda, & quò quondam Studiosis Theologiæ ejusdem cognitio proficua magis, ne & illis usu veniat, quòd multis tempore *D. Finckelthusi* examinandis, qui cum probationem ab illis exigeret theseos, quòd licitum sit juramentum religionis, ex textu Biblico, ejus nullam adducere sciverunt: sic enim se habent illius verba in *Tractatu de Jure Patronatûs cap. VI. p. 294. Deprehendi* [ & quidem NB. *cum indignatione* ] *nullum ipsos* ( loquitur de examinandis & ordinandis ) *textum Biblicum ad hanc meam quæstionem allegare & applicare potuisse.* Quod si verò minus pro materiæ dignitate & tuâ expectatione L. B. rem pertractaverim,



Tuæ humanitati confisus, mihi partim, quòd hoc primum sit exercitium meum Theologicum publicè editum, partim, quòd iter in patriam præter opinionem maturare cogar, & hinc tantum, quòd quidem constitueram, temporis spatium dissertationi impendere reliquum non sit, veniam certam polliceor. Cæterum omnis mea dissertatio eò collimabit, ut præmissis quibusdam præcognoscendis Thesin assertam abundè probem, & mox adversarios cum suis objectionibus adductos pro virili refutem atqve rejiciam. DEUS nostra secundet cœpta!

SECTIO I.  
*De*  
PRÆCOGNOSCENDIS.

CAPUT I.

§. I.

**Q**uemadmodum L. B. in quavis rei cognoscendæ tractatione bonus ordo se commendat, sic & in nostra Juramenti in Libros Symbolicos perlustratione eundem eâ, quâ potest fieri, perspicuitate observare, non incongruum videtur. En igitur quædam prius, quam rem ipsam videas, cognoscenda. Hæc autem suo ambitu complectentur duo: Nimirum brevem Librorum Symbolicorum in quos jurandum, & ipsius jurisjurandi, quòd juratur, delineationem. Quòd igitur concernit primò Scripta Symbolica, de iis aliquid erit dicendum in genere & in specie. Illorum definitionem meliorem nescimus, quam qualem nobis *Dn. Præses* ipse in sua non ita pridem edita *Augustana Confess. theticè & apologeticè pertractata*, suppeditat. Nimirum quòd *scripta Symbolica sint norma confitendi, proponendi ac defendendi fidem, hunc in finem autoritate publicâ præscriptæ*. Nomen si spectamus, dicuntur sic à symbolo, quòd apud Græcos idem est ac indicium, signum aut tessera, & in militia & in contractu; vid. *Vossius in dissert. 1. de tribus Symb. p. 14.* A Scriptoribus dein Ecclesiasticis vox hæc post Concilium Nicenum de confessione doctrinæ Christianorum publica usurpata fuit. *Conf. Dn. Lic. Rechenbergium in App. Trip. p. 2.* Quamquam non desunt,  
qui



qui verbum hoc aliunde deducere allaborent, confundentes symbolam cum symbolo, inter quos quoque *Ruffinus*, qui, cit *Dn. Præsides l.c. p. 2.* sequentem in modum *in exposit. Symb. Ap. ab initio* ait: *Symbolum Græcè & indicium & collatio dici potest, hoc est, quod plures in unum conferunt.* Plures & vetustos & recentiores idem cum dicto *Ruffino* statuentes *vid. ibid. l.c.* Sunt & alii satis ineptè Symboli derivationem quærentes ex  $\sigma\upsilon\nu$  & bolus, inter quos, notante hoc *Vossio l.c. p. 8.* *Mimatensis Durandus*; It. *Job. Gerson* vel alius, juxta ipsum *Vossium*, qui inter *Gerisonis* opera exstat, qui: *dicitur, inquit, Symbolum à  $\sigma\upsilon\nu$ , quod est cum, & bole quod est sententia; quasi collectio sententiarum.* Vel, ut alii volunt, à  $\sigma\upsilon\nu$  quod est cum, & bolus, prout notat frustum; quasi frustorum i.e. capitulorum vel particularium fidei, collectio. Alii aliter statuerunt, quorum omnium sententias vel potius significationes, quas voci symboli attribunt, ordine producere nimis prolixum foret; possunt hic pluribus legi. Aut. jamdum adducti, quibus adde *Röberum disput. de tribus Symb. it. Dannbauer. conc. 1. de iisdem.*

§. II. Et hæc adducta sufficiant de nomine; nunc nobis ipsa definitio paulo accuratiori oculo erit perlustranda. Quod ad genus itaque tam in definitione quam in *Præs. Libri Concord. §. Quare positum*: nimirum libros Symbolicos *normæ* nomine venire, attinet; statim sub initio monemus, *normæ* vocabulum hic non tam significare principium cognoscendi, quam confitendi fidem seu Religionem; & inde cum *Domino Præsides lib. c. p. 8.* distingvimus inter ipsam fidei normam, & inter normam confessionis de fide. Libri Symbolici, utpote qui neutiquam nobis imprimunt credenda, non sunt norma fidei, sed dum tantum exprimunt jamdum à nobis percepta & credita, sunt norma confessionis. Ministri enim Ecclesiæ, in qua libri ejusmodi Symbolici sunt recepti ac propositi, hisce obstringuntur, ut illis, si alioquin officii sui partibus rectè præesse velint, in omnibus sacri sibi concrediti officii functionibus conformes se gerant; nec ideo ulla ratione illis detrectari *normæ* nomen poterit, quod ad Scripturam sacram tanquam *Lydium lapidem* examinari debeant, cum id toto die usu veniat, ut aliquid respectu unius sit norma & causa assentiendi & cognoscendi, respectu vero alterius aut superioris aut excellentioris Principii normatum, *vid. Dürrii Isag. in Libros Normales Eccl. Norimb. cap. I. §. 1. p. 29.* quin jamdum apud veteres *normæ* nomen obtinuisse videre est ex *Isidoro Hispa-*



*Hispalensi*, quem cum *Dürrio* adducere nobis licebit è *Lib. II. cap. 42.* ubi de symbolo Apostol. verba faciens sic loquitur: *Discessuri ab invicem normam prius sibi futurae prædicationis in commune constituunt; non, localiter ab invicem discedentes, diversum aliquid vel dissonum prædicarunt his, qui ad fidem Christi invitabantur.*

§. III. Additur etiam expressis verbis in definitione nostra differentia specifica, eaque petita & à fine & à causa efficiente: cum dicitur quod sint norma confitendi, proponendi & defendendi, præscripta publica autoritate. Et hoc sanè satis luculenter differentia ipsius Scripturæ sacræ ac librorum Symbolicorum ostenditur: Libros nimirum Symbolicos neque principium esse neque normam fidei, sed tantum principiatum, nec fidem exinde generari, sed jamdum præsupponi; quod enim quis ore profitetur ac testatur, id jamdum necessario in corde tacitus fovere debet.

§. IV. Pervenimus jam ad causam efficientem, quæ & principalis est & instrumentalis. Principalis est autoritas publica, quæ necessario requiritur ad scripta Symbolica. Hæc autem competit Ecclesiæ, & exercetur ejus nomine à Magistratu per Doctores illius. Cum itaque Symbola nostra jussu Principum & statuum Protestantium per Theologos orthodoxos sint confecta, ut ipsi hoc in præf. *Libr. Concord.* contestantur, dum suam suorumque confessionem appellant; vid. *Dn. Præf. l. c. p. 11.* summo jure scripta publica, utpote autoritate publica edita audiunt; magnumque ideo discrimen inter hæc & illas confessiones, ad quas edendas unusquisque paratus secundum admonitionem *Petri I. Ep. III. 15.* ἔτυμοι δὲ αἰεὶ πρὸς ἀπολογίαὺν παντὶ τῷ αἰτῶντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος, esse debet, & quas unus vel alter in casu confessionis edere solet. Causæ v. minus principalis sunt Doctores in Ecclesia, qui materiam pertractandam suo stylo moderari & proponere debent, ita tamen ut magistratus postmodum proposita approbet eisdemque subscribat.

§. V. Absoluta definitione paucis etiam attingimus divisionem. Sunt ergo, accuratissimè iterum nobis præeunte *Dno. Præfide l. c. p. 16.* scripta Symbolica ratione essentiæ vel orthodoxa vel heterodoxa, eodem proorsus modo quò Ecclesia ipsa dispescitur. Orthodoxa sunt illa, quæ è verbo Domini sunt desumpta & ex fundamentis sacrarum literarum solidè exstructa. Hinc quidem hi libri conveniunt quoad materiam



riam cum verbo DEI & illi nihil contrarium continent, nec in hujus materiae causa efficiente discrepant; æque enim illud quod in orthodoxis libris Symbolicis confitendum proponitur, à DEO est, quam illud quod in sacris credendum. Forma autem proponendi & eloqvendi tota est diversa; in sacris literis enim solus DEUS immediatè inspiravit & in calamum dictitavit Prophetis & Apostolis & materiam & etiam formale, id est, voces ac phrasas, *vid. 2. Pet. I. 21.* cum contra Confessiones omnes ex parte earum formali dependeant ab hominibus, & non nisi quoad materiale h. e. rem ipsam pro verbo divino agnosci queant. Sicuti autem forma erat dissentanea, sic finis quoque horum est alius quam illarum. Norma enim Scriptura sacra est, uti jam annotavimus *præc. §. 2.* fidei ipsius credendæ, formulæ autem istiusmodi publicè præscriptæ norma modò fidei profitendæ: atque hinc non sunt tanti gradus & æstimmii, ut ipsum verbum DEI, faciunt enim tantum ad τὸ εἶναι, hoc verò ad τὸ εἶναι, & nisi quis ex eo DEUM ejusque voluntatem norit, vitam æternam intrare nullo modo potest. Et hujus generis scripta orthodoxa sunt omnes in Ecclesia nostra recepti Libri Symbolici.

§. VI. Quemadmodum autem scripta symbolica orthodoxa fundamento præsupponebant sacras literas, sic è contrario heterodoxa, vel aliud prorsus præter genuinum fidei principium (e. g. traditiones humanas) agnoscunt, & dicuntur ἀγροφα: vel illud quidem agnoscunt, interim tamen aliò torquent & perversè interpretantur, & dicuntur ἀντίγροφα. Ubi tamen probè notandum, non omnia in quibusvis libris symbolicis, qui heterodoxi audiunt, rejicienda, verum possunt illi quædam, quæ cum verbi puri fonte congruunt, continere; & hæc tam nobis sunt recipienda, & credenda ac nostra propria, licet illis nobiscum sint communia; atque hæc licet juncta sint heterodoxis doctrinis, non desinunt tamen esse DEI verba eumque autorem agnoscentia. Illa verò quæ propria sunt hæreticorum doctrinæ tantum abest, ut ad DEUM referri possint, ut potius patri omnium mendaciorum Diabolo sint adscribenda, & proinde nullam prorsus fidem mereantur. Forma verò non solum humana est, verum etiam à vera verbi divini regula abiens, adhibito ut plurimum stylo, qui (sunt nervosa *Dni. Præf. verba l. c. p. 23.*) ad fingendum pingendumque iniquitatis mysterium est idoneus. Tandem tamen eundem cum orthodoxis obtinent finem; non enim inficiamur quod, uti hæc orthodoxorum fidei dicuntur symbola, sic quoque heterodoxa suorum defensorum signa atque symbola sint.

B

§. VII.



§. VII. Altera scriptorum symbolicorum divisio est ratione  
quantitatis, & dividuntur secundum hanc prorsus iterum ad modum di-  
visionis ipsius Ecclesiæ, in universalia & particularia; vid. *l. proxime c. p. 25.*  
Universalia sunt talia vel in gradu majori, quæ ab universa Ecclesia Ca-  
tholica sunt recepta, ut symbola œcumenica, Apostolicum, Nicenum  
& Athanasianum. Quæ tria in hunc ipsum finem nostris libris Symboli-  
cis sunt præfixa, ut demonstretur conformitas fidei nostræ cum fide an-  
tiqua catholica, à qua nos recessisse adversarii passim clamitaverant. His  
addi etiam possunt Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedo-  
nense, cum & hæc semper à catholica Ecclesia recepta fuerint. Univer-  
salia autem in gradu minori sunt, quæ ab universa aliqua Ecclesia parti-  
culari recepta sunt, quæ est apud nos Augustana confessio, apud Ponti-  
ficios Concilium Tridentinum &c. hoc enim totam Ecclesiam Roma-  
no-Catholicam, illa autem universam Ecclesiam orthodoxam obligat.  
Particularia denique sunt quæ unam partem Ecclesiæ particularis devin-  
ciunt; talia sunt in Saxonis ditionibus quatuor Articuli visitationis,  
decisio quatuor artic. controv. & alia, de quibus vid. *Dn. Rechenbergium*  
*l. c. p. 116.* Apud Norimbergenses, Responsio Philippi Melanchthonis ad  
articulos Bavaricos, & ad argumenta Stancari, it. constitutiones Eccle-  
siasticæ Reipubl. Norimbergensis. vid. *Isagogen superius citat.* In Ecclesia  
Brunsvicensi & Luneburg. *der Bericht von etlichen fürnehmen Articuln*  
*der Lehre. It. die Reguln D. Urbani Regii.* vid. *corpus Julium part. II.*

§. VIII. Restant nunc ea, quæ de scriptis symbolicis in specie ad-  
ducere volumus. Certum autem est hodie non solum Lutheranos sed  
quasvis sectas alias sua habere symbola, quibus dignosci ab aliis cupiant.  
Sic propria Pontificiorum est professio fidei Tridentinæ, sic dicta à loco,  
ubi Concilium multorum annorum habitum fuit, è quo hæc confessio  
confecta & anno 1564. à Pio IV. Pontifice Romæ publicata  
fuit. Calviniani pro suo symbolo æstimant confessionem Belgicam,  
conscriptam primùm, Anno superioris Sec. 61. Gallicè; Belgicè versa  
anno 79. Latinè anno 81. Græcè anno hujus seculi 35. Huic addunt Cate-  
chesin Palatinam. Et licet Arminiani jactitent libertatem prophe-  
tandi h. e. licentiam quæcumque religionem exercendam, tamen post  
V. Articulos, à quibus Quinqvarticulani dicti, confessionem suam anno  
1621. ejusdemque contra Leidenses Apologiam anno 1630. ediderunt.  
Sociniani Catechismum Rackoviensem pro suo venerantur symbolo, &

Ana-





Anabaptistæ ipsi hoc seculo duas confessiones, unam Hornæ Anno 18. alteram in Anglia Londini Anno 44. publicè emittere nulli dubitarunt.

§. IX. Libri Symbolici in specie orthodoxi sunt vel universales vel particulares. Inter illos primò omninò loco poni meretur Augustana confessio; quam ad mandatum Cæsaris, status Protestantes ex verbo Dei per Theologos suos, Lutherum prima fundamenta ponentem, & Philippum Melanchthonem imprimis (vid. *Sleid. Lib. VII. de Stat. Relig.*) conscriptam in Augustanis Comitibus A. 1530. d. 25. Junii Carolo V. obtulerunt, hunc in finem, ut de præcipuis religionis suæ capitibus eidem rationem darent seqve contra adversariorum calumnias defenderent; & hanc exhibitam & à Carolo V. acceptam invariata confessionem omnes Lutherani unanimiter receperunt, cæterisque particularibus confessionibus præposuerunt, quò vis & dignitas ejus eo magis constaret. Hanc excipit Apologia, quæ quidem à solo Melanchthone, sed tamen autoritate publica, est conscripta, nec tamen statim pro libro Symbolico est habita; cæterò quoniam Melanchthoni non licuisset quædam adjicere, quod tamen se fecisse in præfat. fatetur. Cum vero ad probatio statuum Evangelicorum accederet, nemo fuit qui de symbolica hujus libri autoritate dubitaret. Fuit autem hæc propterea confecta, ut confutatio A. Conf. à Theologis Pontificiis consarcinata refutaretur, & doctrina semel tradita publicè adfereretur. Cum vero Protestantes non semel petentes Concilium liberum ab Imperatore certam spem illud nanciscendi ceperant, in conventu Smalcaldicæ Anno 1537. die 15. Febr. instituto D. Lutherus capita summa doctrinæ controversæ collegit, ut exhiberi eadem possent, si tandem aliquando Concilium concederetur liberum; quibus omnes ibidem præsentès Doctores & Concionatores subscripserunt; vid. *Art. Smalcald. in fine.* Et hæc capita dicuntur Articuli Smalcaldici, qui eodem valore cum prioribus apud nos habentur. Hos sequitur Catechismus Lutheri & major & minor, qui licet in gratiam Parochorum & auditorum, imprimis simplicium, à B. Viro sit concinnati, tamen postquam una Ecclesia particularis post alteram eosdem junxit symbolis suis, par illis cum his autoritas concessa est. Et hi quinque libri ab omnibus, qui Ecclesiæ Lutheranae nomen obtinent, recepti sunt, ita ut de universali eorum autoritate symbolica nemini dubitare liceat. Formula autem Concordiæ, quæ per VI. ad id de-





signatos Theologos, nempe Jacobum Andreae, David. Chytraum, Martinum Chemnitium, Andream Musculum, Christophorum Cornerum, Nicolaum Selneckerum Torgaviae A. 1576. conscripta, A. 1577. in coenobio Bergensi pio consilio & studio revisa & tandem Dresdae A. 1580. publicata fuit, non ab omnibus Ecclesiis nostris recipitur, & hinc pro particulari symbolo, pro primario tamen inter reliqua habetur. Est autem hic liber scriptus, ut ortas post B. Lutheri reformationem controversias resolveret, simulque declararet & fundaret verae religionis concordiam ad posteros propagandam. Horum librorum omnium uberiolem historiam vid. ap. *Dn. Praef. l.c. It. Pl. Rev. Dn. Rechenberg. App. Trip. parte 1.* De reliquis autem symbolis particularioribus vide *praec. §. 7.* cum modo citatis Viris de nostra Eccles. optimè meritis.

## SECTIONIS I.

### CAPUT II.

De

## JURAMENTO.

§. I.

**I**N hac Sectione attendemus iterum prioris partitionem, & proponemus quaedam primò de Juramento in genere, quibus facili negotio subjungere poterimus, quæ de juramento in specie in Libros Symbolicos, annotanda censebimus. Primùm igitur, quod attinet juramentum in genere, ejusdem apud omnes populos & ab omni ævo circa pollicitationes promissa & contractus maxima semper vis fuit; *nullum siquidem vinculum*, inquit *Cicero Lib. I. Off. ad adstringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt.* Qua vi quoque vinculo tamen opus non fuisset, nisi homines inter se transigentes ex utraque parte suis laborassent & adhuc laborarent vitiis, quibus proinde juramenti ortus debetur. Dum enim promittens fallaciam aut æquivocationem committere, is vero, cui aliquid promittitur, semper de rei veritate dubius & incredulus esse potest, juramentum *πάσης ἀντιλογίας πέρας*, uti vocatur *Hebr. VI. 16.* ex instituto DEI, vi juris naturalis velut remedium huic malo congruum inventum est.

§. II. Est autem juramentum affirmatio religiosa, in qua ad rem dubiam confirmandam DEUS testis invocatur. Subministravit nobis  
genus



genus definitionis cum parte differentia *Cicero Lib. III. Offic. ubi, iusjurandum, inquit, est affirmatio religiosa: ceterum placuit nobis definitio Rob. Sanderfobnii, quam adducit in Tract. de juram. oblig. præl. I. §. II. nisi quod ille pro genere constituerit actum, qui cum sit genus remotius, propinquius à Cicerone petere volumus. Non intelligitur autem hinc affirmatio logica, quæ opponitur negationi, & est prædicati cum subiecto conjunctio; sed animi sensorum circa rem quandam explicatio qua quis hoc vel illud, affirmando aut etiam negando, confirmat. Et hæc assertio in jurejurando non est simplex, sed religiosa. Pertinet enim partim ad cultus soli DEO sanctissimo debitos: sic enim alloquitur Moses populum DEI *Deut. VI. 13. Dominum Deum tuum timebis, & ipsi servies & per nomen ejus jurabis*: partim etiam in summum DEI honorem tendit, non quidem semper ex parte jurantis, qui non raro, proh dolor! perjurus irreverenter & contemptim valde Deum habet; verum ex parte ipsius juramenti naturæ, quod dum ad confirmationem rei incertæ adhibetur, is quo teste illa confirmatur, superior hoc ipso agnoscitur: *ἀνθρώποι γὰρ κατὰ μέγιστος ὀμνύουσι, Hebr. VI. 16.* Denique jurisjurandi sanctitatem ipsi quoque Ethnici cognoverunt; tanta enim ejusdem religio apud eos fuit, ut nomine sacramenti, quod habebant in numero sanctissimorum, dignarentur, semper, ubi modo de juramento sermo esset, multam sanctitatis & religionis mentionem facientes.*

§. III. Ut autem eò melius juramenti natura & definitio pateat, eamus per quatuor causas. Ubi quidem in ipsa definitione causam efficientem proximam, si rem perpendere volumus, deprehendemus. Dum enim juramentum est assertio, est etiam actus, & quidem non tantum externus oris sed & internus ipsius intellectus, pendens uterque tanquam imperatus ab elicitio in voluntate, velut omnium liberarum actionum principio.

§. IV. De hac autem assertione cum modò dixerimus: *materia* proximum nobis faciet negotium, indicatâ in definitione sequentibus: in qua ad *rem dubiam* confirmandam DEUS testis invocatur. Res dubia, quæ nullâ aliâ ratione neque testibus, neque signis demonstrari potest, & merè à fide dicentis dependet, est objectum reale juramenti. Quæ enim aliunde patent, ad illorum verificationem juramentum usurpare non minus temerarium, quàm periculosum & damnosum est. Non igitur res universales & scibilia cadunt sub censuram jurisjurandi:



ineptus enim foret ille, qui juramento obtinere vellet hominem esse rationalem, aut cœlum altius terrâ: neque res particulares indubitatae prorsus fidei, aut ex historiarum certis monumentis aut omnium non negatâ confessione: hinc mente captus videretur, qui juramento defendere vellet Carolum V. fuisse Imperatorem, Aristotelem Philosophum aut Ciceronem Oratorem. Remanent ergo, tanquam vera juramentorum materia, illæ res particulares, quæ propter varias circumstantiarum vicissitudines, ita sunt mutabiles, ut de illis demonstrativa aliqua certitudo haberi nullo pacto queat.

§. V. Speciatim autem hæ res in juramento promissorio debent esse licitæ & possibiles. Hinc est, quod dicit *Grotius de J. B. & P. L. II. cap. XIII. §. VI. Ut valeat juramentum oportet obligatio sit licita, quare nullas vires habebit jurata promissio de re illicitâ, aut naturaliter, aut divinâ interdictione aut etiam humanâ. Absurdum enim est, inquit Nobiliss. Pufendorff. Lib. de Jure Nat. & Gent. IV. cap. II. §. 9. vindictam divinam invocare, nâ aliquid feceris, quod sub comminatione pœnæ à DEO est interdictum: adeoque reverentia DEI, velut in ipsius ignominiam abuti. Ac introducta sunt juramenta, [sic pergit] ut licitis & bonis actionibus inter homines firmitatem addant, non ut sceleribus succenturiantur.* Ad illustrationem dictorum communiter adducitur exemplum Davidis 1. Sam. XXV. qui prius quidem juraverat, se Nabalem occisurum, ast hujus uxoris prece exoratus, ei pepercit, hocq; factò DEO gratias summas obtulit, quod impediverit, ne explendo juramentum illicitum gravius commiserit peccatum. Quin imò fac rem esse licitam, majoris autem boni impedimentum, neque sic valorem suum jusjurandum debitum habebit. *DEO enim debemus quotidiè in bonis proficere, ita ut ejus libertatem eripere nobis ipsis non valeamus, inquit Grotius l. c. §. VII.* Cum verò porro ultra posse nemo obligetur, ad impossibilia juramento se obstringere, res temerarii criminis, nullius verò obligationis est; siquidem absolutè aliquid impossibile fuerit: de conditionatis enim res aliter se habet, quæ, quodsi pro tempore tantum & ex suppositione impossibilia sunt, erit in pendentibus [sic loquitur *Grotius l. c.*] obligatio, h. e. tamdiu jurans non obligatus est præstare juratum, donec vires nanciscatur, ut possit præstare; sic enim seipsum explicat *Grotius Lib. II. cap. XI. §. VIII.* quando ait: *quia tum promissio facta censeri debet sub conditione, si res in potestatem venerit.*

§. VI.



§. VI. Id autem, quod præcisè dat esse & distingvi iurijurando, est DEI tanquam testis invocatio. Per hunc enim solum, quia juramentum ad cultum religiosum DEI pertinet, uti *præc. §. 2.* dictum, non per creaturas jurandum est. vid. *Dn. Præf. Comp. Jur. Nat. Lib. II. cap. VI. §. 40.* Veteres verò, dum per alia quoque præter Numen jurarunt, non eam velut testes aut vindices perjurii invocarunt, neque illud fecerunt in aut cum relatione ad DEUM, velut creaturam testem advocarent, tanquam aliquid DEI, in quo scilicet refulgeat DEI bonitas, veritas & potentia, & quo se dum agnoscit per DEI misericordiam frui, tum nollet per DEI justitiam <sup>inven</sup> *jurari*, v. g. si quis juret per vitam, perinde esset, ac si diceret, per illum DEUM, cui vitam debeo; uti vult *Sander-son l. c. §. IV. p. 8.* Sed DEUM obtestabantur, ut ultionem istius perjurii in eis potissimum rebus, utpote sibi carissimis expeteret. vid. *Dn. Pufendorff. l. c. §. 3.* Hinc appositè *Augustinus in Serm. 28. de Verb. Apost. Tom. X. Oper. col. 388. de Jurejurando: Quid est jurare, nisi jus reddere DEO, quando per DEUM juras; jus salutis tue reddere, quando per salutem tuam juras; jus filiis tuis reddere, quando per filios tuos juras? Quod autem jus debemus salutis nostræ, filiis nostris, DEO nostro, nisi charitatis, veritatis & non falsitatis? Cum dicit quisque, per meam salutem, salutem suam DEO obligat: quando dicit per filios meos, oppignorat DEO filios suos, ut hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius, si verum, verum, si falsum, falsum. Cum ergo filios suos, vel caput suum, vel salutem suam quisque nominat, quicquid nominat, obligat DEO.* Et inde pariter est illud interdictum, quod legitur *in capit. Car. M. Lib. III. c. 42. Ne quis juret per nomina Regum & filiorum ejus.* Quod concernit exempla sacra, *Josephi*, qui per salutem Pharaonis; *Elisei*, qui per vitam Eliae jurasse dicitur, similiter circa hæc rectissimè observat *B. Dn. D. Calovius*, fuisse tantum gravissimas obtestationes, in quibus charissima pignora offerebantur, non propriè dicta juramenta.

§. VII. Quemadmodum autem juramentum per Deos falsos confirmatum obligat, dummodo jurans illos pro veris habuerit; vid. *Grot. l. c. §. XII.* ita absurdè jusjurandum conciperetur per tale aliquid, quod omni divinitatis majestatisve supremæ opinione destitueretur, additâ quidem hujus & testificationis & ultionis invocatione.

§. VIII. Ipsius autem DEI mentione in juramento factâ illud discernitur à nuda assertione & promissione, quæ absque ulla divini nominis



minis interventione peraguntur; *vid. Rob. Sanderfohn l. c. proximè.*  
 Porrò neque DEUS in jurejurando adducitur tanquam pars conventio-  
 nis, uti in voto fieri assolet, sed tantùm ut testis, & hoc sufficere putat  
 dicto in loco *Sanderfohn* in definitione, cum nulla harum contineat ali-  
 quid superflui, dissentiens in hoc ab aliis, adjicientibus & *vindex*: non  
 alienus autem à mente *Grotii*, qui *l. c. §. X.* ait: *Hac duo, DEUS sit te-*  
*stis, aut DEUS sit vindex, in idem recidunt. Nam cum superior puniendæ*  
*jus habens advocatur, simul ab eo perfidiæ ultio poscitur: & qui scit omnia,*  
*ultor est, ideò quia testis.* Tandem forma juramenti absolvitur peni-  
 tus adjecto vocabulo, *invocatur.* Nudum ergò DE I testimonium ubi  
 allegatur, ibi jurisjurandi ratio non statim sequitur: aliàs enim tot ju-  
 ramenta diceret concionator in suggestu, quot adduceret ad confirma-  
 tionem suarum propositionum Scripturæ testimonia. Tanquam te-  
 stis igitur DEUS omniscius & omnipotens est invocandus, & si quis fi-  
 dem fallat, velut *vindex.* Et hâc ratione veritatis præsumtio eò major  
 fieri potest; nemo enim tantâ impietate esse judicatur, ut divini Nu-  
 minis vindictam in seipsum excitare sit ausurus.

§. IX. Et hinc fluit nobis causa externa altera, in definitione ju-  
 ramenti adducta, quæ est finis, & consistit in confirmatione fidei de re  
 hoc aliove modo gesta aut promissa facienda. Diximus supra §. I. ho-  
 mines hâc loco aut hâc in negotio partim posse esse fallaces, ut juran-  
 tem, partim diffidentes & incredulos, ut is cujus gratia juratur; cui utriq;  
 defectui jurejurando succurritur. Jurans enim metu divini Numinis o-  
 mniscii & omnipotentis adstringitur eò magis, ut veritatem enunciet  
 aut promissum servet, nâ apertè sibi ipsi vindictam DEI apprecari cupiat.  
 Is enim καρδιογνώσης & intima sive sinceri sive fallentis cordis penetra-  
 lia, hujus quidem in gravissimæ poenæ metum, illius verò gratiosæ re-  
 tributionis solatium, novit. Eum verò, cujus gratia juratur, cum ju-  
 ramentum sit πάσης ἀνιλογίας πέρας, & plus ultra in hoc viatorum  
 itinere homo hominem adigere nequeat, hâc per invocationem divini  
 testimonii factâ confirmatione contentum esse, & in disceptatione  
 prorsus subsistere oportet, sic, ut res in dubitationis alea antea quàm  
 maximè posita, præstito jurejurando extra eandem penitus sita in foro  
 quidem externo judicii humani censenda sit. Quamquam quod forum  
 internum conscientiæ attinet, id sæpiùs, cum perjurorum eheu! plena  
 sint omnia, micum in modum læditur, lædens autem poenas gravissimas,





mas, nisi vera insequatur poenitentia, expectandas habet. Atque hunc juramenti finem, confirmationem, indicat ipse Paulus *Hebr. VI. 16.* quando dicit: ὁ ὄρκος πέρασ Ἰσὶ πάσης ἀνυλογίας εἰς βεβαίωσιν, h. e. est id, per quod tandem, quantum ad confirmationem & securitatem attinet, finis imponitur, & res ipsa, quæ dubia est, stabilitur valdè; ut explicat *Vir Summè Rev. D. Schmidius in Comment. in h. l.* & mox subjungit: *Notari ex his verbis debet finis & usus juramenti etiam in humanis, & quidem ex jure divino, ex quo sine dubio Apostolus hęc loquitur: scilicet terminatio controversiarum & dubiorum, ut contradicere amplius non liceat.*

§. X. Juramentum autem hęc ratione quoad suum esse & definitionem consideratum communiter dividitur in Assertorium & Promissorium. *Cum enim non tantum, juxta Dn. Præs. l. c. §. 41. promissionem de futuro, sed & alias assertiones de quocunque tempore fallacia ex una & incredulitas ex altera parte comitari possit, illas quoque ab his vitiis, si quando videantur subesse, conditores legum ac Rerumpubl. per juramenta purgandas esse censuerunt. Et hinc duplex natum juramentum, alterum promissorium, quod facit ad fidem datam corroborandam: alterum assertorium, quod facit ad litem motam decidendam. Hujus usus in judiciis est maximus, prioris in pactis & promissis. Sic piè juravit *Genes. XXIV. 9.* Abrahæ servus, se Domini sui mandata in conciliando filii matrimonio observaturum. Juravit sic, inadvertentiæ tamen notula signandus, Josua cum principibus Israëlitarum Gibeonitis de præstanda incolumitate, *Jos. IX. 15.* Habes sic nobilissimam jurisjurandi divisionem, sub cujus membris divisæ aliæ juramenti species comprehendiqueunt, ut sub assertorio testificatorium, litis decisorium, suppletorium & alia; vid. *Dn. Præs. l. c.* sub promissorio comminatorium, quale fuit Davidis contra Nabalem, jam memoratum §. 5. ex *1. Sam. XXV.* & execrandum Judæorum zelotyporum, ubi se anathemate devoverunt, se nihil degustaturos, donec ἀποκλείνωσι, occiderint Paulum, *Actor. XXIII. 12.* Quamquam vocabulum, *promissorii*, non possit sic sumi propriè, verùm per synecdochicam catachresin, ita ut quemadmodum sperare pro timere dicitur, sic quoque τὸ promissorium extendi possit ad comminationes; vid. *Rob. Sandersohn l. c. §. XI.**

§. XI. Cum autem omne juramentum sit obligatorium, ita ut quivis, qui jurat, in quamcunque rem juret, sive intendat se obligare

G

sive



sive minus, nihilominus hoc ipso, quod jurat, obligetur, [ sic enim, Moses ipse ait *Num. XXX. 3. Vir si voverit votum, aut si juraverit juramentum, ligando ligamen super animam suam, non polluet verbum suum, secundum omne, quod egressum est ex ore suo, faciet. Et Cicero lib. III. Off. superius jamdum adductus §. I. hujus cap. Nullum vinculum, inquit, ad adstringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt; ] non alienum hinc nobis videtur, quædam de obligatione, eaq; quidem, brevibus proferre. Describit hanc *Dn. Puffend. l. c. Lib. I. §. 21.* quod sit, per quam quis præstare aut admittere, vel pati quid necessitate morali tenetur. Ubi ad obligationem moralem, tanquam præcipuam, tantum respexit. Aliàs communiter *Jcti* generalius obligationem definiunt, quod sit vinculum juris, quo quis adstringitur ad solvendum id, quod debet. *vid. Synt. Jurispr. Struvii Exerc. XLVI. Tit. VII. de Oblig. §. 54.* Si juris vocabulum non adstringas ad jura humana tantum, sed etiam ad divina relaxes: hæc definitio quadrabit & ad obligationem internam conscientiæ, & ad externam actionum humanarum; ubi insimul constabit divisio obligationis in naturalem, quæ obligat naturaliter in foro interno ex vi legis naturæ, [ hæc potest etiam dici moralis, ] & civilem, quæ obligat civiliter in foro externo ex vi legis civilis. Hanc divisionem excipit alia non minus usitata, quæ, uti prior ab origine, nam omne vinculum obligatorium ex jure quodam provenit, ita ab objecto cujusvis obligationis, quod est debitum, desumta est. Debitum autem cum sit duplex, & officii, quod quis vi juris præstare debet, & supplicii, quod vi juris ferendum est, duplex quoque enata fuit obligatio, & ad officium perficiendum, & ad pœnam tolerandam. De hac re egregiè *Paulus Rom. XIII. 5. Neesse est subjici [en debitum] non solum propter iram, [ obligatio ad pœnam ] sed & propter conscientiam [ obligatio ad officium; ] vid. omninò Rob. Sandersohn l. c. §. XII.* Nota: Cum omnis obligatio sit de futuro, videtur in assertorium juramentum nulla cadere obligatio, cum illud sit de re præterita vel præsentis. Verum respondetur, obligationem cadere primariò & directè in subiectum, h. e. conscientiam jurantis, non in objectum vel materiam juramenti, nisi secundariò & indirectè, & quidem in promissorio juramento. Hinc cum in assertorio aliquis se obstringit *προς τὸ ἀληθὲς εἶναι* dicendum, etsi fortè ab ipso jurejurando minutissimo tempore sit distinctum, nihilominus de re futura obligatio ejus censenda est. In promissorio au-  
tem*



tem juramento res longè aliter se habet ; ibi primariò est obligatio itidem ad conscientiam , & secundariò etiam ad materiam , ita ut jurans non solùm teneatur *πρὸς τὸ ἀληθεύειν*, verba animo congrua proferre, verùm etiam *πρὸς τὸ πρῶτερον*, id quod promisit præstare, sic ut facta etiam verbis congruant.

§. XII. Denique unicum adhuc notamus circa tractationem juramenti in genere, quod scilicet nemo se ab hac jam dicta obligatione liberare queat, quæcumque artem juramentum cavillandi & in suum commodum interpretandi invenerit. Nullum ergo liberat ab obligatione æquivocatio nec reservatio, quæ dicunt, mentalis, quæ maximam partem adimplet Lojolitarum pessimos fallendi modos. *Primo* enim debet juramentum simplicissimè & cum effectu intelligi. Deinde DEI nomen non prophanari : quod certè fit, si Deum in testem invoco veritatis verborum eorum, quæ cum eo, quod jurans in corde repositum servo, non concordant. *Tertiò* juramentum omni disceptationi finem imponere debet, quæ tamen hac fraudulenta arte redintegratur & augetur. *Porro* jurans decipit sciens & volens proximum, contra quæm exigitur à jurante *Psal. XXIV. 23. Ne jures in dolo.* Rationes plures *vid. ap. Sanderfohn. l. c. Præl. Sexta sect. IV. V. & VI.* Si vero alicui contra fas & jus aliquid jurejurando confirmandum proponitur, is aut simpliciter juramentum renuat, aut aperte suam mentem explicet.

§. XIII. Postquam sic de juramento in genere egimus, quædam de illo in specie in Libros Symbolicos, adducemus. Quod cum pertineat ad juramenta promissoria, nobis sic describendum videtur, quod sit affirmatio religiosa, quæ sedula & accurata servatio & observatio sinceræ religionis in libris symbolicis contentæ promittitur. Hanc definitionem secundum partes explicare esset actum agere, cum de eis ex præcedentibus satis constare possit ; ex ipsis tamen juramenti verbis, quo hæc in regionibus futuri Ecclesiæ ministri adstringi solent, fiet clarior, quæ ergo apponere consultum videtur. Sunt autem illa seqq. *Ihr sollet geloben und schweren / daß ihr dem Durchlachtigsten Churfürsten zu Sachsen ꝛc. Vermöge eurer Vocation und Ampts / getreue und gewärtig seyn wollet / bey der reinen Lehre und Christlichen Bekänntnis dieser Landen / wie dieselbe in der ersten ungeänderten Augspurgischen Confession begriffen / und im Christlichen*



lichen Concordien-Buch repetiret und erkläret / und wider alle  
Verfälschung verwahret ist / beständig ohn einigen Falsch ver-  
bleiben und verharren / dawider nichts heimliches oder öffentli-  
ches practiciren / auch wo ihr vermercket / daß solches andere thun  
swolten / dasselbe nicht verhalten / sondern Ihrer Churfürstlichen  
Durchl. ohne Scheu alsbald offenbahren : Da auch Gott ver-  
hengen möchte / ( das er doch gnädig abwenden wolle ! ) daß ihr  
euch selbst durch Menschen-Wis und Wahn von solcher reinen  
Lehre und Erkänntniß Gottes / entweder zu den Papisten / Cal-  
vinisten / oder andern obgemeldeten reinen Confession widrigen  
Secten abwenden würdet / solches Ihrer Churfürstlichen Durch-  
lauchtigkeit alsobald / vermöge eures geleisteten Eydes unge-  
scheuet anmelden und Ihrer Churfürstl. Durchl. fernere Ver-  
ordnung und Resolution erwarten.

### Der Eyd.

**A**les was ich N.N. geredet und gelobet habe / wie mir daß mit  
unterschiedlichen Worten und Puncten vorgelesen und  
vorgesaget ist / das will ich stets fest und unverbrüchlich / auch ge-  
treulich halten : Als mir Gott helffe / durch Jesum Christum  
seinen Sohn unsern Herrn.

§. XIV. Quamquam inficiari haud possumus, non ubique ubi  
receptus est Liber Concordiæ, tale quoddam formale juramentum in  
usu esse. Oportet tamen minimū novos Pastores publicè stipulata manu  
promittere, se omnibus viribus id operam daturus, ut veram & sine-  
ram religionem secundum librorum Symbolicorum ductum custodiant,  
& incrementa ejusdem qværant. Exemplum nobis præstat das For-  
mular / nach welchen in den Kirchen zu Hamburg gelährte junge  
Leute zum Predigt-Ampt ordiniret / oder auch sonst andere / so  
schon im Ministerio gelebet / daselbst eingeführet werden. Ge-  
druckt zu Hamburg Anno 1636. In hoc sequentia inveniuntur, &  
quidem puncto III. quod ministerii Candidatis prælegi solet. Zum  
Dritten / ( fere in medio hujus puncti ) sollet ihr getreulich blei-  
ben



ben bey der Apostolischen göttlichen Lehre / welche die lieben heiligen Apostel vom HErrn Iesu empfangen / und der Gemeine Christi in ihren Schrifften nachgelassen haben / die auch / Gott sey Lob und Danck / in dieser Kirchen nach der Form der Augspurgischen Confession / Apologia und des heiligen Propheten Gottes Doctoris Martini Lutheri Erklärung im heiligen Catechismo und andern Schrifften / auch in dem Christlichen Concordien-Buch / und desselben Apologia, als dieser Stadt und Kirchen Bekänntniß verfasst wird / gelehret und geprediget. Et postquam adhuc alia monita Summè Rev. Dn. Senior addidit, pergit alterius ad subscriptionis & promissionis stipulatæ petitionem. Nun N. N. also habt ihr angehört die Ermahnung / darnach ihr euch in euren Ampte / dazu euch Christus verordnet / und zu dieser (oder der) Gemeine N. beruffen hat / sollet richten und halten. So ihr demnach geneiget seyd / dieser Ermahnung und Befehl in euren Ampte mit allen Fleiß und Treue / durch die Gnade und Hülffe des Allmächtigen Gottes / nachzukommen / und mit Vorsatz Wissen und Willen / dagegen nicht zu handeln / wie ihr des unsern HErrn und Haupte Iesu Christo am Jüngsten Gerichte / gedencket Rechenschaft zu geben / so sprecht für dieser ganzen Gemeine mit wohlbedachten Gemütthe und freyer Consciens / Ja. Et ad hæc jam respondet Ordinandus, Ja. Cui affirmationi Ordinans jungit.: Dazu verleyhe euch / Gott der himmlische Vater seine Gnade und Heiligen Geist / durch Iesum Christum unsern lieben HErrn etc. Amen. Et tantum de Juramento in libros Symbolicos in specie; sequitur jam ipsa quæstionis Tractatio.

**SECTIO II.**  
*De*  
**QVÆSTIONE IPSA.**  
**CAPUT I.**

C 3

S. I.



§. I.

**P**Ræmissis ita, L. B. illis, quæ necessaria duximus, ut præcognoscantur; devenimus jam ad ipsam rei tractationem. Ubi quæritur: *An in Libros Symbolicos jusjurandum categoricè sit præstandum? An liceat illud fieri sub conditione, quatenus non adversantur Scripturis Sacris?* Uti prius omnibus Orthodoxis probatum est hæctenus, ita etiam ego illud assero, & contra Adversarios pro virili defendere, declinatis eorum petitionibus hostilibus allaborabo. Affirmandum itaque cum nostris Theologis non jurandum tantùm esse in Lib. Symbolicos universales, aut universalibus strictiores vel in minori gradu tales, verum etiam in particulares unicujusque Ecclesiæ orthodoxæ, non equidem cum quadam restrictione aut conditione consensus illorum cum sacris literis, sed absolutè, præsupposito jamdum consensu, tanquam conditione impleta, non adhuc supplenda. Et hanc thesin singuli *γυνώσκω* Lutherani asserunt & defendunt. *Vid. Præf. Dialys. Hülsemanni à pag. 109. usq; ad 135. D. Carpzovium in Isag. in Libr. Symb. aphor. & quæst. gener. p. 6. 7. It. Kromayerum in Locis Anti-Syncret. Loc. VII. Thes. 4. p. 242. &c.*

§. II. Firmam autem hujus thesios confirmationem ex duplici peto ratione, quod videlicet juramentum in Libros Symbolicos & fieri possit & debeat. Illud tam ex jure divino quam humano liquet; quibus accedit juramenti hujus qualitas, facti Paulini paritas & exempli Magnatum & Principum, aliorumque magnorum virorum gravitas. Hoc vero facillimè demonstrari potest à causa efficiente & fine hujus juramenti, maximo commodo, si fiat, & gravissimo contrà damno, si omitatur. De quibus singulis tamen ordine agendum erit.

§. III. Permittere igitur jus divinum, ut juramentum in scripta symbolica categoricè fiat, indubitato ex exemplis è Sacris Bibliis depromptis constabit; præsupposito hoc, quod libri symbolici in nulla re verbo divino contrarientur. Hoc autem omnes verè Lutherani conscientia ipsis teste invictissimè credunt, donec ipsis contrarium ab Adversariis demonstraretur; quod verò DEO juvante in omnem æternitatem fieri non poterit. Audiamus verba quæ Libri Concordiæ, Germanici Idiomatis præfatio habet: *Wenn denn dem also/ und wir unsers Christlichen Bekänntniß und Glaubens/ aus Göttlicher Prophetischer und Apostolischer Schrift gewiß/ und dessen durch die Gnade des H. Geistes in unserm Herzen und Christlichen Gewissen gnugsam ver-*



versichert seyn/ und denn die höchste etc. Und in der Haupt-Vertheidigung des Aug-lyffels/ in dem III. Punct der Vorrede: Wir tragen solcher Schrift keine Scheu: weder für Gott noch Menschen: weder für Freunden noch Feinden: weder für Käyser noch für Königen: weder für Chur- noch Fürsten: wir sind bereit allezeit zur Verantwortung iederman/der Grund fodert unserer Hoffnung/die in uns ist: wir haben ein gut Gewissen/ und seyn versichert/ daß die so von uns Affterreden/als von Ubelthätern/zu schanden werden müssen / 1. Pet. III. 15. 16. Et ad hanc harmoniam Libb. Symb. cum S S. Literis provocatur etiam in ipsa Aug. Confess. præfatione. Sic enim in ea ad Invictissimum Imperat. Carolum V. data Protestantes ajunt: *Ideo, ut V. C. M. obsequamur, offerimus in hac religionis causa nostrorum concionatorum, & nostram confessionem, cujusmodi doctrinam ex SCRIPTURIS SANCTIS & PURO VERBO DEI hætenus illi in nostris terris, Ducatibus, ditionibus & urbibus tradiderint, ac in Ecclesiis tractaverint, p. 6. & in Form. Concord. in declarat. Articul. præf. p. 629. Hanc piam atq; è FUNDAMENTIS VERBI DEI SOLIDISSIMIS exstructam Augustanam confessionem nos toto pectore amplecti, publicè & solenniter etiam profiteremur.*

§. IV. Cum igitur libri symbolici à scripturis sacris nullo modo abeant; cur non pariter in eos, sicut in fœdus DEI multi juramentum exegerunt in verbo DEI adducti Duces & Reges populi, idem à Magistratu hodiernum exigiqueat? Ita Moses, qui fidelis in tota domo DEI fuit *Hebr. III. 22.* juramentum in fœdus Domini à populo Israelitico requisivit, quando dixit: *Vos statis hodie cuncti coram Domino DEO vestro, principes vestri & tribus ac majores natu, atque doctores, omnis populus Israel, liberi & uxores vestrae & advena, qui tecum moratur in castris: לַעֲבֹדָה בְּבְרִית יְהוָה וּבְאֵלֹהֵי* ad transeundum in fœdus Domini DEI tui, & in jusjurandum, quod hodie Dominus DEUS tuus percussit tecum. Hic profecto expresse sub religioso juramento Moses adegit Israelitas, ut servarent, nec irrita redderent, quæ DEO spondissent; *Deut. XXIX. 10. 11. 12. & 14.*

§. V. Huic uti in officio, sic quoque in rebus prudenter gestis successit Josua. Pariter enim ac Moses cum jam ultima vitæ attigisset, convocavit Populum, & postquam illis proposuerat: vellentne verum an Gentium falsos DEOS sequi? atque ii verum elegissent, *Jos. XXIV.*



XXIV. 25. יְחַשֵּׁעַ בְּרִית לְעַם הַהוּא. *percussit Josua fe-*  
*odus in die illo. Ubi Cornelius à Lapide in Comment. suo ad b.l. recte sic*  
*explicat: Fædus hoc erat, quod promitteret Populus, se unum DEUM cul-*  
*turum, ejusque leges à Mose latus servaturum: וַיִּשָּׂם לוֹ הוֹא:*  
*וּמִשְׁפָּט בְּשִׁכְמָם. Et proposuit populo præceptum atque judicium in Se-*  
*chem. h.e. interprete Masio: In fæderis conditionibus etiam hoc inclusit,*  
*ut legis STATUTA & JUDICIA custodirent.*

§. VI. Hisce etiam succenturiatur exemplum *Nehemia*, qui *Li-*  
*bri sui cap. X. 29.* sic ait de reversis è captivitate *Babylonica*: *Et venie-*  
*bant ad pollicendum & JURANDUM, ut ambularent in Lege*  
*DEI, quam dederat in manu Mosis servi DEI, ut facerent & custo-*  
*dirent universa mandata Domini DEI nostri & judicia ejus & ceremonias*  
*ejus. Quibus addi possunt Psalm. CXIX. 106. 2. Reg. XI. 17. vid. Königii*  
*Cas. Consc. p. 686. It. Gerhard. Loc. Theol. Tom. VI. §. 210.*

§. VII. Uti verò sic probari facile potest legi divinæ nullo modo  
contrariari tale juramentum, quod præstandum contendimus; sic i-  
dem ex jure humano quoque ostendere confidimus. Si enim *Justinianus*  
*in suis Novellis Nov. 8. in Epil.* in omni administratione capessenda vult,  
ut juratus aliquis fidem & sedulitatem superiori suo confirmet, & pro-  
pterea etiam *ibidem* formulam ipsius juramenti, quâ administratores  
jurare deceat, apposuit: *Quidni & liceat juramentum in formulas*  
*profitendæ & docendæ fidei præstare, cum primis, quòd in ipsa illa ju-*  
*risjurandi formula sequentia legantur verba: Juro ego per DEUM &c.*  
*& communicator sum sanctissimæ DEI, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, &*  
*nullo modo vel tempore adversabor ei; nec alium quemcumque permitto,*  
*quantum possibilitatem habeo. Huic accedit, quòd Ethnici etiam sa-*  
*niores nullum ad judicium exercendum admiserint, nisi prius juratum;*  
*vid. Plato Lib. 12. de Legibus. Et apud Athenienses ex Solonis institu-*  
*to Rex quoque jurabat, se laturum sententias secundum leges. A qui-*  
*bus hoc ipsum procul dubio mutuati sunt Romani, de quibus proximè*  
*jam in adducta Nov. egimus. Sic sentit D. Finckelthufius de Jure Patro-*  
*natûs cap. VI. n. 143. pag. 295. Et NB. hæc omnia ex jure tum divino*  
*tum humano deprompta de juramentis absolutè præstandis intelligenda*  
*sunt, cum præter quod in juramento Justiniano impossibilia, ab omni*  
*jam tum jurejurando exclusa, excludantur, nullius exceptionis men-*  
*tio ne unico apice fiat.*

§. VIII.



§. VIII. Quodsi verò ulteriùs ipsam juramenti naturam, & primò materiam ejus consideramus, ex ea similiter apertè liquet, nil esse quod vel hìc jusjurandum in scripta Symbolica absolutè præstandum impediatur. Siquidem in hac nihil aliud promittitur, nisi sincera puræ & veræ religionis in Scriptis Symbolicis contentæ conservatio. Neque aliud aliquid in his Regionibus à Serenissimis Electoribus unquam requisitum fuit: Sic enim sonant Serenissimi Elect. Christiani II. in Rescripto ad Senat. Eccles. d. 25. Januar. An. 1604. verba: Nachdem wir bald bey Antretung unserer Churfürstlichen Regierung die gnädigste Verordnung gethan / daß alle unsere Ráthe / Beampte und Diener bey ihrer Verpflichtung auch insonderheit beeyndiget werden sollen / bey der reinen Lehr und Christlichen Bekántniß dieser Lande / wie dieselbe in der ersten ungeänderten Augspurgischen Confession begriffen / im Christl. Concordien-Buch wider die eingerissenen Verkehrungen / Kotten und Secten widerholet / erkläret und verwahret ist / ohne einigen Falsch beständig zu verbleiben / dawider nichts heimlich oder öffentlich zu practiciren: Also seynd wir *ic. Vid. Carpzovius in jurispr. Consist. Lib. III. Tit. I. de foro Eccles. ejusq; comp. Def. XVI. p. 683.* Quòd autem vera Religio nostra sit, penitus persuasum habemus, & hujus Sect. *prac. §. 3.* conscientiam nostram testem invocavimus: in qua sententia firmi usque ad ultimum vitæ halitum perstare, coramq; DEO intrepidè quondam nos sistere confidimus. *Secundò* formam juramenti quod concernit, neque ea officit, quò minus categoricè illud fieri queat. Quemadmodum enim cujusvis juramenti formam in invocatione DEI religiosa consistere supra *Sect. I. c. 2. §. 6.* dixi; ita quoque jurisjurandi in Libros Symbolicos formale idem est. Et hæc certè invocatio absque singulari DEI honore fieri nequit. Hoc deductum *vid. superius loc. jam cit.*

§. IX. Quò ergò jure Paulus Apostolus suos *Theffalonicenses* jurejurando absolutè adstringere potuit, ut epistolam ad eos datam omnibus sanctis communicarent & servarent, quod fecit in his verbis: *ὁρμίζω ὑμᾶς τὸν κύριον ἀναγνωθῆναι τὴν ἐπιστολὴν πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἀδελφοῖς, 1. Epist. cap. V. 27.* eodem jure Magistratum suos subditos juramento obligare posse censeo ad verum religionis exercitium, in certis libris designatum & publicè approbatum: Ne scilicet latum unquam ab eo discedant ipsi, nec aliter aliis proponant atque communicent. Et

D

quid





quid quæso tandem laudandum hoc juramentum hodiè impediatur, quò minus fieri possit? cum tamen olim tot Electores, Duces, Comites, & Liberae Respubl. tantâ παρρησία atque constantiâ hoc fecerint. Horum singulorum nomina Præf. Libri Conc. subjuncta, in *ultima* autem & *penultima* Præf. pag. hæc verba leguntur: *Quare etiam nos ne latum, quidem unguem vel à rebus ipsis vel à phrasibus, quæ in illa habentur discedere, sed juvante nos Domini Spiritu, summa concordia constanter in pio hoc consensu perseveraturos esse decrevimus. In cujus rei evidens testimonium nomina nostra magno consensu subscripsimus, & sigilla etiam adjunximus.*

§. X. Satis itaque probatum puto, Juramentum in libros symbolicos categoricè fieri posse. Quod vero etiam fieri debeat, probandum jam est. Habet autem hanc in suos subditos potestatem Magistratus, ut qui subditus manere cupiat, jusjurandum, si divinæ Majestati ejusque verbo nil detrahit, quodcunque cæteroquin sit, præstare cogatur. Militat pro nostra sententia Israelitarum exemplum sub Rege Josia 2 Reg. XXIII. & 2 Paralipp. XXIV. descriptum. Ibi enim Josias totum populum 2. Reg. XXIII. 2. : לְמִקְטָן וְעַד-גָּדוֹל à parvo & usque ad magnum, ad observantiam legis ac Religionis Judaicæ, & quidem sub formula foederis וַיִּעָמְדוּ כָל הָעָם בְּבְרִית אֲלֹהֵימָהוּ & stetit omnis populus in fœdere, ib. v. 3. non simplicis aut vulgaris sed DEI, בְּבְרִית אֲלֹהֵימָהוּ in fœdere DEI 2. Paral. XXXIV. 32. non Theocraticè (nam post assumptum Regimen Regium, quod humanum est, inquit Max. Rev. Dominus Præses l. sup. c. p. 37. divinum illud obtinere non potuit: urgente hanc oppositionem DEO ipso ad Sam. I. VIII. 7. Non te sed me fastidierunt מִמֶּנִּי à regnando super eos: ) sed potestate Regia, obligavit, ut hinc pateat, hodie quoque idem omnibus, qui in eadem sunt constituti dignitate, licere. Quin dum cura Magistratui circa religionem concessa est, hoc ipsum ei quoque concessum esse videtur. vid. Carpz. l. jam. c. Illa autem, licet à multis in dubium vocata fuerit, ex certis & firmis scripturarum κριτηρίοις suffulta nunquam destrui poterit. A DEO enim ipso Regibus hæc cura expressè mandata, multis in locis legitur. Deut. XVII. v. 18. dicit DEUS per Moysen: Postquam sederit Rex in solio Regni sui, describet sibi deuteronomion legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus & habebit secum legetque illud omnibus diebus vite sue, ut discat timere Dominum DEUM suum & CUSTODIRE verba & ceremonias, quæ in

Lege





*Lege praecepta sunt.* Sic Jehova dicit ad Josuam: *Confortare & esto robustus valde, ut CUSTODIAS & facias omnem legem, quam praecepit tibi Moses servus meus.* Jos. I. 7. Hinc etiam Apostolus Paulus dicit 1. Tim. II. 1. 2. *Adhortor igitur debere fieri obsecrationes, orationes, postulationes & c. pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt.* Ex quibus verbis ita colligit Gerhardus l. c. §. 168. p. 299. *Qui finis est precum pro Magistratu à Christianis fundendarum, is etiam finis debet esse Christiano Magistratui in suo officio.* Sed jubet Apostolus preces hoc sine pro Magistratu à subditis fieri, ut in pietate & honestate tranquille & quietè sub eo vivere possint. Ergo etiam Magistratui incumbit, ut hunc finem (tranquillam & quietam vitam in pietate & honestate, quam tamen sine cura circa religionem dare subditis suis nullo modo potest) in officii sui administratione sibi praefixum habeat. In primis etiam huc facit locus Es. XLIX. 23. *Erunt Reges nutritii tui, & Reginae eorum nutrices tuae.* Et hanc circa sacra curam laudabiliter etiam exercuere Imperatores, Constantinus Magnus, Theodosius, Martianus & alii; vid. Hieron. Treutl. consil. 110. num. 103. & in primis Imperator Justin. qui Novel. 3. in Epil. sic ait: *Hec te custodire continue sanximus, scientem, quia non minor nobis cura est horum, quae sanctissimis Ecclesiis prosunt, quam ipsius animae.* Item Novella VI. in Praefatione: *Nos enim maximam habemus sollicitudinem circa veram DEI dogmata & circa sacerdotum honestatem, quam illis obtinentibus credimus, quia per ea nobis maxima dabuntur dona à DEO, & ea, quae sunt, firma habebimus.* Refragetur ergò subditus, qui conscientiam non curat, quae tamen Magistratui subjectam se esse dicitur, subscribere eo, quo ille exigit modo, libris symbolicis! Refragetur, qui iram DEI certam sibi contrahere cupit, qui nullam erga magistratum inobedientiam inultam relinquet! Debet hoc praestare juramentum categoricè quivis subditus, dummodo à Magistratu sic requiratur: qui erronea ductus conscientia salvà eadem se id non facere posse arbitratur, ne sit subditus; abeat ad eos, quibus vaga & cuiusvis errori patens religio. Ubi ubi autem gentium degerit, semper necesse est, *subjectus sit omni potestati & propter iram & propter conscientiam, Roman. XIII. 5.* de quo loco vide sup. Sectionem I. cap. II. §. II.

§. XI. Et profecto Magistratus, qui suo satisfacere vult officio, quod requirit, ut provideat, ne Religio quid detrimenti capiat, haud potest aliud quam categoricè praestandum exigere juramentum. Hoc e-



nim est medium illud, quo tandem illi, qui munera sustinent publica, in officio continetur, quorum animus pruriens, qui novitates amat, aut depravatus religionem sinceram parum aestimat, metu saltem infamiae & poenae si non timore DEI, ex perjurio sibi imminentis, ab imposturis in turbando & convellendo Ecclesiae statu deterretur. Hoc tandem medio concordia & tranquillitas tam anxie, à quibusvis bonis semper quaesita, ut nullo alio magis, obtinetur. Nisi enim Magistratui constet de vera & nulli frivola exceptioni obnoxia fide; qua ratione ille verum & sincerum cultum religionis conservare poterit? cum impostorum hominum, bilingvium & falsiloquorum, quos merito si novit Magistratus Christianus è suis finibus exterminat, maxima detur copia. Et de his conqueritur etiam praefatio librorum symbolicorum, quando Serenissimus Elector Saxoniae in ea: *Simul & hoc cognovimus, inquit, extitisse quosdam homines bilingves & falsiloquos, qui ad Illustrissimum suum Magistratum verbis quidem speciosè jaetarint, quin & JURAMENTIS TEMERE SUSCEPTIS asseverarint, se purae & invariatae Augustanae confessioni contra omnes corruptelas & fanaticas opiniones tam Calvinistarum, quam aliorum Sectariorum esse addictos, qui tamen postea deprehensi sint, quod dogmata falsa & erroneas Sacramentorum opiniones occultè foverint, & per suos complices fraudulentis dolis & machinationibus furtim invehere, inscioque ordinario suo divinitus constituto Magistratu, disseminare & prorogare totis viribus contenderint.* Et hos tenebricosos nebulones in lucem protrahere potest, si vel tantillum pietatis in eis adhuc residet, absolutè praestandum Jusjurandum. Nobis adstipulatur Gerhardus l. c. §. 210. *Protrahuntur, inquit, hac ratione è latibulis suis vulpeculae, devastationem vineae dominicae molientes, frenum injicitur turbonibus, ut poenas per juris constitutas metuentes, à disfidis excitandis, erroribus spargendis & turbando Ecclesiae statu absineant, sed quae fidei ac Ecclesiae unitas studiosè conservatur.*

§. XII. Atque sic optimè consulitur Ecclesiae, quae tales hominum pestes sedula informatione, amica adhortatione ad frugem reducere curat. Si frustra:

- - - - - *immedicabile vulnus,*

*Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.*

Quod si verò è contrario sub exceptione libris nostris symbolicis subseribere concederetur; quot quaso technas, quot elusiones sub hoc hypothe-



potheseos tegumento palliare levissimus quisque posset? Subscribo, diceret Sophista, huic Symbolo, quatenus verbo DEI non contrariatur. Sed quomodo non contrariatur? Si ita explicatur, uti ego scripturam explico, & secundum hanc explicationem ipsum symbolum. Scilicet hæc optima ad concordiam in Ecclesia servandam via! Rectissime B. Hülsemannus in præf. Dial. p. 116. *Hæc profecto mera elusio, quorumvis symbolorum ab hominibus conscriptorum, & ipsissima circulatio est, per quam nulli unquam Regno aut Provinciæ tranquillitas sua constare potest, quin Novatoribus, (imò & aliis quibuscunque) pateat hoc latibulum: Se jurasse in formulas nationales aut provinciales cum exceptione, quatenus non adversantur verbo DEI.* Nonne sic pristinum sacrorum bellorum & quidem internorum patebit pelagus? Nota est hominum perversa ambitio; quivis vult digito monstrari & dicier hic est. Nisi ergo certa esset confidenda fidei regula, quibus absolutè tales homines adstringerentur, unusquisque pro sui Spiritus vertigine nil cedens alteri, scripturam, hic quidem sic, alter aliter explicaret, atque Symbola huic subordinata populo modo diversissimo proponeret. Quæ hinc metuenda in ipso Ecclesiæ gremio Schismata, quæ hæreses? Horum enim ortum ut plurimum deberi abominandæ ambitioni, sacrarum historiarum monumenta evidentè docent.

§. XIII. *Arceat igitur Dominus Jesus [loquor cum B. Hülsemanno l. c. p. 123.] à Judiciis Ecclesiasticis, arceat à Sacramentis, quæ pro conservanda fidei sinceritate & doctrinæ publicæ, passim dicuntur, tales ultra cavillos! Pesimum enim in se absconditum continent eludendi libros Symbolicos circulum. Vin' hujus rei exempla? Zanchius & cum eodem Hornejus ea præbere possunt. Refert prior ipse factum, quod sibi intercessit cum Argentinensium Theologis de subscribenda doctrinæ formula in Epistola ad Landgravium Tom. I. Miscell. p. 37. seqq. Interrogatus, inquit, velle me & ego huic formulæ subscribere? Resp. Quoniam, si æquum habeat interpretem, nihil per se impium aut pugnant cum sacris literis agnosco, idcirco pacis & concordie causa me subscripturum; sed certis de causis, me prius hæc protestari. Jam refert varias conditiones, quibus positus se subscripturum asserit, & inter has ponit etiam sequentem: Postremò, ut liceat mihi hanc doctrinæ formulam interpretari juxta regulam Verbi DEI, & doctrinam Augustini, Lutheri, Bucerii. Ad hæc quid ipsi à Theologis Argentinensibus responsum fuerit, ipse enarrat:*





Tantum ad ultimam, inquit, responsionem hoc exceperunt: Si velint permittere, ut suo quisque judicio interpretetur articulos & confessionem, nullam futuram inter nos concordiam. Pergit: ad hoc me nolle, respondi, ut mihi liceat, juxta meum judicium, sed juxta regulam verbi divini, doctrinam Augustini, Lutheri, Bucerii, illa interpretari. Hic tacitum est [B. Hülsemannus ait, Marbachium in relatione sua negare, fuisse tacitum] Ego verò juxta illam legem, qui tacet, affirmat, illorum silentium pro asseveratione accepi, & omninò accipiendum judicavi. Ita bonâ conscientia accessi atque subscripsi, [factum hoc est An. 1563. d. 18. Martii] neque id simpliciter, sed quatenus ego formam illam piam esse judicabam. Et mox in altera columna ejusd. pag. 38. Quis in hac mea subscriptione non videat expressam conditionem, nempe eatenus me illam doctrinam formam recepisse, quatenus etiam piam esse illam, non mei adversarii, sed ego ipse, agnovi atque agnosco? En, ego illud pestilentissimum circulare! Dixerat, non juxta meum judicium interpretabor, sed juxta regulam verbi divini, Augustini, Lutheri, Bucerii &c. Sed quis est verus sensus verbi divini, Augustini, Lutheri, Bucerii? quem ego, pro hominis pessimam fidem! verum judico. Merentur verba B. Hülsemanni, quæ habet in hunc locum Zanchii, l. c. p. 123. apponi: Hic (in adductis puta Zanchii verbis) primùm, inquit, resolvitur interpretatio legitima Augustanae Confessionis in interpretationem congruam regulæ verbi divini, doctrinæ Augustini, Lutheri, Bucerii; Interpretatio congrua regulæ verbi divini, nec non doctrinæ Augustini, Lutheri, Bucerii resolvitur in interpretationem congruam regulæ mentis Zanchianæ: Et tamen Zanchius non cupiebat sibi permitti, ut liceat verba Augustanae Confessionis interpretari juxta suum judicium, sed cupiebat sibi permitti interpretationem juxta regulam verbi divini, doctrinæ Augustini, Lutheri, Bucerii: At mox, quatuor aut quinque lineis vix interjectis, resolvitur interpretatio regulæ verbi divini, doctrinæ Augustini, Lutheri, in pronomen primæ personæ, EGO, quatenus ego piam esse judicabam.

§. XIV. Alterum exemplum sistit Hornejus, qui quidem in Repetitione sua pag. 17. hoc inficiatur, &: Falsum est, inquit, me usquam dixisse: Formulam Concordiæ falsitatis postulandam esse, nisi Hornejanae interpretationi subjiciatur. Nullâ literâ, nullo apice id ostendi potest. Nimirum venerandum Ministerium Tripolitanum Regiomonti in Borussia edidit librum adversus Helmeftadienses, imprimis Calixtum; uti Helm-



Helmeſtadienſes ipſi de hoc conq̄veruntur in Epiftoſa Anno 1649. d. 12. April. ad Lipſienſes Theologos exarata, ut horum mentem de hoc libro perciperent, in qua: *Non dubitamus, ſcribunt, ad vos allatum eſſe exemplar, aut famam ſaltem nefandi voluminis, quod à malevolis quibusdam alieni nominis obtreſtoribus Regiomonte compilatum, Dantiſci autem Anticriſeos nomen præferens, in vulgus nuperrimè eſt emiſſum: In quo præter alia hoc agitur, ut Venerandus Collega noſter, D. Georgius Calixtus, Vir de rectis ſtudiis & Eccleſia, tot bonis fatentibus, à multis annis meritus optimè, & ita quotidiè merens [ ſi credere fas eſt ] in pernicioſorum errorum, impietatis, perjurii, Samaritanismi, Crypto-Calvinismi, ſed & Crypto-Papiſmi, imò criminum multorum & Atheiſmi atroces ſuſpiciones adducatur. In hoc autem ſcripto adducit Venerandum Miniſterium Tripolitanum: Hülſemannum ſcripſiſſe, quòd Hornejus profiteatur: *Librum Concordiæ aut ſubjiciendum eſſe interpretationi Hornejanæ, aut falſitatis poſtulandum.* Ad hæc itaq̄ve Hornejus inflatis repoſuit buccis: *Falſum eſt, me uſquam tale quid dixiſſe.* Altumné ad hæc noſtri B. Hülſemanni ſilentium? fruſtrané ſic vir veritatis Chriſtianæ ſtudioſiſſimus falſitatis crimine accuſatur? Meliora multa de eo ſperamus; cauſam vir cæteroq̄vin modeſtiſſimus cum maxima animi contentione agit. Oſtendit enim l. c. p. 125. quòd paulò poſt verba Horneji in *Repetitione*, in quibus falſitatis Hülſemannus arguitur, idipſum, quòd Hornejo objeciſſet, aſſeratur. Hæc ſunt Horneji verba, quæ accuſationem Hülſemanni ſeq̄vuntur: *An hoc eſt Formulam Concordiæ falſitatis poſtulare, niſi ſecundùm meam interpretationem intelligatur? Certè eâ de re nullum eſt verbum. De rectè autem interpretanda ago, ut Sacra Scripturæ illa interpretatio conſentanea ſit.* Ad hæc inquit Hülſemannus: *Planè ut Zanchius, qui dixerat; interpretationem cupio, non ſecundùm meum, ſed Sacrarum Scripturarum, Auguſtini, Lutheri, judicium. At hoc ego agnoſco eſſe Lutheri, Auguſtini & ſacrarum literarum judicium.* Sic Hornejus: *De mente Formulæ Concordiæ meæ interpretationi ſubjiciendæ nulla litera, nullus apex ibi extat; de rectè autem interpretanda ago.* Dura jam ex juſtiſſimo pro Eccleſia zelo incipit loqui: *Demonium, inquit, Dialectici: utimur verbis primæ & ſecundæ perſonæ, diſſimulatis ferè pronomiſibus.* Zanchius dixerat: *Quatenus eam piam eſſe agnoſco.* Hornejus: *AGO de rectè interpretanda Formulæ Concordiæ, ut interpretatio illa Sacra Scripturæ conſentanea ſit. De interpretatione autem meo judicio ſubjicienda non ago.**

§. XV.





§. XV. Quid est eludere atque torquere in aliud librorum Symbolicorum sensum, si hoc non est? Quid est, quod finem, quem posterior, Hornejus, se intendere ait, pacem scilicet in Ecclesia, magis evertit, quam hæc ipsa cavillandi ratio? Certum enim hoc modo, nec inter particularissimas Ecclesias concordiam futuram, verum inquieti animi occasionem habebunt perpetuas fovendi turbas & litigationes. Quandoquidem juramentum hypotheticè præstandum est illud ipsum artificium, quo particularia statuta feliciter everti atque destrui possunt, subministrat etiam potestatem citra conscientiae læsionem, quovis biennio vetera abrogandi & nova statuendi Symbola. Sed quis ita novationum inter homines novitatis avidos, quis exinde ortorum litigiorum terminus? Itane pessimè consulere cupiunt Ecclesiae, qui de illa optimè meriti audiri cupiunt? Pudeat illos tam impudentis ausus.

§. XVI. Nec puto ego, eos salvâ conscientiam hanc sententiam defendere posse. Quot enim quæso è simplicioribus, qui hæctenus rectissime literis & sensui Librorum Symbolicorum inhærentes, quando percipiunt, esse viros inter nosmetipsos, magni etiam nominis, qui categoricè illis subscribere detrectent, offenduntur & scandalizantur. Aut enim talis hypotheseos defensor sibi persuasum habet, scripta Symbolica adversari vel actu, vel probabile admodum esse, posse contrariari Scripturis; aut illa cum Scriptura Sacra convenire. Posterius statuere non potest; frustranea enim sic foret ejus exceptio. *Nemo enim, ait B. Hülfemannus, casum, qui non facile præsumitur, excipit. Casus incendii, bellorum, inundationum, aliorumque, totâ die nascentium infortuniorum, solent excipi in satisfactionibus, stipulationibus & promissionibus; sed casus non facile emergentes, quales erant pluvia, ignis & sulphuris in Sodomitas, debiscentia telluris sub Corah, Dathan & Abiram, aliosque, rarisimè contingentes, non solemus excipere.* Prius ergò metuant necesse est. Quando enim Symbolis nationalibus & provincialibus ab Electoribus & Principibus in suis regionibus juxta unicam & veram Sacræ Scripturæ normam conscriptis non vult subscribere, nisi, quatenus non adversentur verbo divino, oportet eum supponere, hæc symbola quædam continere, quæ contrariantur verbo DEI. Enim verò hic est ille scandalosus & inseparabilis jurisjurandi in Libros Symbolicos hypotheticè præstiti effectus.

§. XVII.



§. XVII. Caterum mirandum est, hujus opinionis levitatem vel non animadvertisse ejusdem authores, vel adeò credulos fuisse, ut sibi persuaserint, orthodoxos non eo pollere judicio, ut illam videant. Proponant nobis Pontificii Concilium Tridentinum, Catechismum Romanum; Adducant Calviniani Confessionem Belgicam cum Catechismo Palatino; Sociniani suum Catechismum Racoviensem. Quin afferat quoque immanissimus Christiani nominis hostis Turca suum Alcoranum; parati sumus conscientia nostrâ ne tantillum læsa, (si fieri id poterit cum Ecclesiæ commodo) his singulis etiam juratò subscribere, eo scilicet sensu: Quatenus non contrariantur hæc symbola sacris literis; hi contrâ nominati omnes vicissim nostris eadem conscientia subscribent. Et hoc foret profecto cum pueris ludere, par impar, æquitantibus in arundine longa. Hujus argumenti futilitatem ulterius *B. Hülfemannus l.c.p.113.* & simili & exemplo declarat. *Si, inquit, Notarius copie scripti Authentici hanc fidem faceret: Ego N.N. testor hanc copiam per omnia convenire suo Prototypo, quatenus Prototypo non contrariatur; quo loco haberetur? Pergit exemplum adducere: Numquid Jacobus Rex Angliæ juramentum fidelitatis, ad quod anno M.DC. II. Pontificii subditi se offerebant, sub conditione, quatenus verbo divino non adversaretur, sustinebat admittere?*

§. XVIII. Denique ego impios illos homines & in Lojolitarum pestifera Schola natos atque educatos judico, qui in illis regionibus, ubi piè, sincerè & unanimi consensu Formula Concordiæ suscepta est, mente subdola accedunt & se socios illi jungunt, præstito in eam juramento, & quoniam expressè verba exceptionis: *Quatenus verbo divino congruit, subscribo,* verentur addere; ea in animo recondita fovent; atque se hoc ipso ab absoluta obligatione, juxta falsam suam opinionem liberasse, in sinu gaudent. Quod enim nihilominus firmissimè obligentur, ut, ex supra adductis rationibus patet, ita clarissimum quoque fit ex eo, quod non in potestate jurantis sit, verba juramenti explicare; (quippe quem verba sumere decet, prout jacent,) verum in illius, qui juramentum exigit. Et qui ejusmodi fallaci animo jurant, ipsi suæ conscientiæ morsus sentient, & videbunt, quomodo eosdem sedent, & mentem suam ipsi tranquillam reddant.

E

SECTIO-





SECTIONIS II.  
CAPUT II.  
*De*  
ANTITHESI THESI VERÆ  
OPPOSITA.

§. I.

**H**ic notandi sunt varii. Alii enim rem totam destruentes, dum juramentum omne in libros Symbolicos oppugnant, generatim & quasi indirectè nobis contradicunt. Alii vero speciatim magisque directè id facientes, concedunt quidem juramentum, sed negant illud categoricè præstandum. In illorum numero sunt:

*a.)* Arminiani. Hi enim in *Apologia Confess. suæ p. 6.* acriter perstringunt Calvinistas & cum illis alios, quod formulam aliquam Confessionis de fide non solum receperint, verum etiam in illam jurare non vereantur. *Non tantum, inquit, receperunt formulam Dordracenam, eamq; approbarunt, sed solemnè in super juramento ei se obstrinxerunt, aliosque omnes impostero obstrictos voluerunt, se videlicet in ea non tantum constanter firmiterque, sed, ut constantia apex exprimeretur, ad extremum usque vitæ halitum perstituros. Poteratne altius evehere aut sublimius attollere humanam formulam Satanas? Et hoc fecerunt nullo prægresso examine, inauditis partibus. Poteratne gravius excœcare atque indurare tam immemores, tam inconcinnos Reformatores DEUS justissimus ultor? Tu interim ex hoc uno disces omnes. Nec enim hætenus quisquam Calvinistarum fuit, qui hoc tam enorme factum displicere sibi professus est. vid. quoque eorund. Conf. ipsa in præf. it. Job. Peltius in Harmonia Remonstr. & Socin. Art. XVII. §. 4. p. 239.*

*β.)* Weigeliani. Nam sic eorum Antesignanus, à quo etiam nomen habent, *Weigelius part. I. Postil. p. 222.* ait: *Ja etliche müssen wohl darzu vor Gott ein Jurament thun/sie wollen nichts anders lehren/als was in Menschen-Büchern fürgeschrieben ist; etliche sind wohl zu frieden umb ihrer Faulheit willen / beruhen gerne auf Postillen / auf dem Corpore Doctrinæ, auf der Augustana Confessione, auf den Locis Philippi. &c. vid. Dial. p. 34.*

*γ.)* Pho-



γ.) Photiniani. Talia enim profert *Ostorodus in Instit. p. 1. seq.* So halten wir es gänzlich dafür / das alles in denselben Büchern des Alten und Neuen Testaments vollkörnlich verfasst sey/was/ damit man das ewige Leben erlangen möge/ zu wissen und zu thun nöthig ist. Also das man nun ganz und gar keiner andern Bücher/Symbolis, Conciliis oder irgend eines Menschen Gutdüncken / Auctorität und Ansehen (er sey auch so gelehrt und heilig gewesen wie er immer wolle) bedarff/aus der oder von welchem man noch etwas lernen und annehmen müste/welches in genannten Büchern nicht geschrieben/ oder nicht deutlich genug erkläret wäre. Selten dannhero aller Väter / (wie man sie heist) Scripta, Symbola, Concilia &c. nicht mehr bey uns/ denn eines andern Menschen Scripta und Gutdüncken/welche dem examini oder Prüfe der Heil. Schrift unterworffen. *Conf. eund. p. 394.*

§. II. His ne jure suo annumerentur, videant nonnulli ex nostris, qui hactenus summis in Theologia Viris non minimum facessere negotium & adhuc facessunt. Certè si ad unum vel alterum ex eorum numero respicias, eundem parum à jam dictorum Hæreticorum opinione recedere certum est. Vicem Ecclesiæ doleo, & nescio quæ sit quorundam detestanda Spiritus vertigo. Novitas multorum inter nos mihi Papa videtur. *Papa dixit*: hoc facit utramque paginam apud illius Asseclas. *Nova sunt*: hoc non paucorum ex nostris mentes ad quævis vel absurdissima rapit. Tales ausus Ecclesiam turbant: Serenissimo Nutritio hujus Almæ maximè displicent: Viris de Ecclesia singulariter meritis non approbantur. Difficile ipsis erit *πρὸς κέντρα λακτίζειν*, & in re mala bonam causam agere. Faxit DEUS, ut sint Pii (concretum adjectivum mirum mihi placet, & unicuique etiam quam maxime commendatum volo: exulet vero hac vice novum ac barbarum subsubstantivum, in vulgus sub specie Tituli notum,) & PIÆ concordia studiosi.

§. III. Illi qui in specie nostram thesin oppugnant, sunt Syncretistarum par nobile fratrum, Calixtus & Hornejus. *Iste* suum consensum Veterum universalem præ libris Symbolicis, proh quantum! extollit; vid. ejus *dissert. de Auctoritate Antiqv. Eccles.* Hic autem expressè asserit; Symbolica scripta habere auctoritatem obligandi fidem & doctrinam subditorum, *SI CONFSSIONI ILLI ADSTIPULENTUR Professores sensu eo, qui Sacra Scriptura & Antiquitati Ecclesiasticae conve-*



nit. Neque alio ordine, neque alio sensu Professores Helmstadienses Corpori Julio sese obstrinxisse. Theologi Helmstadienses (ait) ita corpus Julium totum pro norma docendi & loquendi habent, ut primo loco sacram scripturam, deinde antiqua Symbola & Confessiones, tertio Augustanam Confessionem, & tandem post illa hanc Confessionem (Julii & Wilhelmi) collocent, & semper juxta prius posterius explicent, non prius juxta posterius. Unde etiam eo ordine, non alio ei se juramento obstrinxerunt; vid. Ejusd. Reperet. de necess. Bon. opp. p. 193. 194. Et antè p. 138. l. c. talia protulerat: Hac demum est vera cum primis Norma, (loquitur de Scriptura Sacra:) ad quam controversæ omnes doctrinæ examinantur. Si quid autem illi statuunt (nempe Imperatores & Principes in Symbolis,) ut ut valde laudabile sit, semper cum hac EXCEPTIONE recipitur: QVATENUS verbo divino non adversatur, ut notum est. Jam autem sententia nostra tot disertis sacra scriptura dictis, tantò consensu antiquæ Ecclesiæ, ad stipulantibus etiam recentioribus Dd. & quidem F.C. addictis consentanea est, ut comprobavimus; (B. Hülsemannus vocat hoc, nota probè, effrane falsiloquium l. c. p. 112.) Ergò vera est. Et illa de Electorum & Principum autoritate frustra allegantur. Nec enim illa huic rei firmanda facit, nisi QVATENUS verbo divino & veteri doctrinæ concordat. His potest jungi Zanchius, cujus exemplum præced. cap. proximo §. 13. adduximus.

§. IV. Objiciunt I. ii, qui in genere totum oppugnant:

a.) Magistratui curam duntaxat externi religionis exercitiū competere; conscientiam vero DEO sartam retinendam in solidum, cui tamen dominaturus esset non minus Magistratus, si potestas imponendi juramentum Religionis ei tribueretur. Resp. (1.) distinguendo inter dominium δεσποτικόν & πολιτικόν. Illud est, quando quis alterum ad obedientiam cogit, sive velit sive nolit: hoc vero, quando quis alterum blanda regiminis forma allicit potius, quam ut compellat. Prius equidem meritò hic derogatur Magistratui, & qui Christianus ac pius est, neque illud appetit. Sic Maximilianus I. Imperat. Rom. admodum reverenter in DEUM dixit: nullam esse majorem pestem Rempubl. administrantibus, quam dominari velle conscientis, quæ imperandi ratio dura esset carnicina; vid. Gerb. in Coronid. Cent. qq. Pol. concl. 34. 35. Posterius autem summo jure Ei conceditur. Hinc (2.) negatur consequentia; Magistratui non competere jus exigendi juramentum in libros symbolicos, quòd curam duntaxat externi religionis exercitiij habeat. Etenim hoc  
quidem



quidem externum religionis exercitium requirit, ut conscientia DEO relinqvatur, & ministris Ecclesiæ formales & internæ ministerii partes, quales sunt, publicè verbum prædicare, & Sacramenta dispensare, baptizare &c. Interim tamen etiam exigit, ut Magistratus sedulus prospiciat non solum de fide & vita subditorum suorum, quid vel quomodo credant aut non credant, an bene vel male vivant; sed imprimis etiam de ministrorum pura verbi divini doctrina, & recta sacramentorum administratione: quod tantò felicius expeditum dabitur, quantò arctius ad certam confessionis formulam fuerint adstricti.

β.) Hoc modò religionem non futuram liberam, sed coactam, non moralem & profectam ex svasionibus; verum violentam & introductam juramentorum depositionibus. Resp. Distingvendo inter liberum, quatenus opponitur coacto, & inter liberum prout idem est ac licentiosum. Priori modò est Religio liberrima, quia illa cogi nullo modo potest. Et hoc ipsum nos segregat à Pontificiis, afferentibus jure aliquem à Magistratu ad fidem cogi posse. Sicuti Mœcenas etiam apud *Dion Lib. 52.* Octaviano consilium dedit, ut non solum modò more majorum Numen diligenter coleret, sed & alios ad eum cultum compelleret. Cum enim assensus, qui fidei pars est, sit actus suâ naturâ liber absurdum foret, aliquem ad eum cogere velle. Hinc inquit *Lactantius Lib. V. divin. Instit. cap. 19.* *Quis mihi imponat necessitatem credendi quod nolim, vel quod velim, non credendi? Nihil tam voluntarium quam Religio, in qua si animus aversus, jam sublata, jam nulla est.* Indeque DEUS postulat sibi populum spontaneum, *Psal. CX. 6. Cant. VI. 11.* Posteriori autem modò libera religio esse non potest. Omnia fiant in Ecclesia κατὰ τὰς ἐν ἡμῶν ἐυχρηστούς, juxta monitum *Pauli, 1. Cor. XIV. 40.* Ordo ubi quærendus, si in Religione libera & vaga licentia quidvis docendi & credendi esset permessa? Libertinismus, in quo inter alia docebatur, homini omnia esse licita sine ulla exceptione, omneque genus credendi & vivendi probabatur, teste *Rescio in suo Atheismo p. 356.* iterum introduceretur. Deinde quis diceret; Religionis libertatem tolli, dum adducuntur documenta ex scripturis, quæ inter se & cum aliis textibus conferuntur, publicè & privatim inculcantur; quæ pugnare videntur, conciliantur; aborti scrupuli eximuntur; & postquam ad unicam fidei cynosuram Scripturam Sacram quadrare, & analogiæ fidei consentanea esse deprehenduntur, eadem porrò subditis proponenda, interposita fide, decer-



muntur. Annon hæc indicant potius fraternam & sponte susceptam conjunctionem, quâ & Magistratus & subditi in unum concordem & Christianum gregem coeunt, quibus omnibus una & eadem prorsus fidei ex scripturis deprompta confessio.

γ.) *Per interventum hujusmodi juramenti detrabi, quod Christo debeat. Debetur enim, ut in unius illius verba juretur, quippe qui ipsissima veritas, falli & fallere nesciens: dum verò Magistratus postulant, ut etiam in verba eorum juretur, qui neque Christus sunt, neque privilegium non errandi habent, utique Christo adimitur, quod suum est, & aliis transcribitur, quod nequaquam ad peculium eorum pertinet.* Resp. Audivimus supra *Sect. I. cap. I. de Libris Symbol.* quod & illi contineant res à DEO in sacris propositas, licet aliis utantur verbis & phrasibus. Nihil igitur detrahitur de honore Christi, sed potius si in Symbolica scripta juratur, promovetur. Solent enim heterodoxi, qui abutuntur sæpius Christi verbis & honorem ejus verum destruunt, vocabulis in libris Symbolicis eò magis contra futiles exceptiones adstringi. Invertendum itaque potius argumentum, & asserendum, juramenta in libros Symbolicos & ex ea ratione esse necessaria, quod per illos honor & gloria DEI, ejusque verbi puri conservatio immediatè quærat. Ulterius etiam distinguendum inter verba & phrasas aliud significantes, quam quod in sacris literis quoad rem continetur; & inter verba ac phrasas quæ eandem rem in scripturis propositam significant, explicant atque illustrant. Si verba scriptorum Symbolicorum aliud proponerent, quam quod in SS. literis fundatum esset, imminuerent equidem honorem Christi; verum summa harum & illorum harmonia, consequentiam in adducto argumento prorsus nullam reddit.

δ.) *Hoc modo auctoritatem potius Magistratus & hominum decreta, pro fidei norma agnosci, quam ipsas sacras literas.* Resp. Solutio hujus argumenti ex distinctione supra *Sect. I. c. I. §. 2.* data facillè patet. Concedimus quidem, & id etiam asserimus, Libros Symbolicos esse normam, sed non fidei ipsius, quod tamen in argumento urgetur, sed fidei confidendæ & proponendæ. Porro nota, aliud esse normam normantem, aliud normam normatam. Sacræ literæ sunt norma normans: confessiones & alia scripta Symbolica sunt norma duntaxat normata, & non, nisi ideo, quia conveniunt cum norma superiore, recipienda & approbanda. Dupliciter enim consideratur liber aliquis Symbolicus, vel  
in



in respectu ad scripturam, & sic est normatum quid; aut in respectu ad Ecclesias, quas obligat, & à cæteris heterodoxis Ecclesiis sejungit, & sub hac relatione optimè dicitur, norma. Quem titulum ipse Zanchius Calvinista Aug. Confessioni non invidebat: nominat enim expressè in *Epist. supplic. ad Sen. Argentor. quam vid. in ejus Miscel. p. 58. normam & Regulam totius confessionis*. Exceptio de cæteris libris orthodoxis sumpta, qui eodem modo norma dici possent, non valet, id eò, quoniam destituuntur autoritate publica, neque à summa potestate proponuntur ut typi doctrinæ, juxta quos loquendum, scribendum & quibus subscribendum; vid. *Job. Adami Osiandri Colleg. Theolog. in Aug. Confess. p. 20. 21.*

ε.) *Ita Scripturam ad fidei jurata Cynosuram potius conformari, quam fidem ad canonem Scripturæ, qui tamen præ aliis obtineat, ut ad eum omnis fides unicè exigenda, & quæ cum eo consentit, amplectenda, quæ ei dissentit, rejicienda sit.* Resp. Committitur fallacia consequentis. Ulnæ primæ & palmaris nihil decedet, licet aliquis in aliam ad hanc rectificatam juret. Quid juramentum ad hoc confert, ut id in quod juratur, sit cynosura illius, juxta quod tamen efformatum prius ipsum est? Scripturæ ἐξοχή illibata manebit, cynosura erit illa in perpetuum & fidei & morum, licet jures vel centies in libros Symbolicos. Quando enim aliquis in articulos fidei & morum ex scriptura per optimam consequentiam deductos, dum se convictum in sua conscientia apprehendit, illos omnes cum SS. literis concordare, jurat; non confestim sequitur: illos deinde articulos cessare esse conclusiones è verbo divino fluentes. Nec illis fides adhibetur ob propriam autoritatem, sed ob aliam, nimirum scripturæ, cum qua conformes quoad omnia sunt, ita, ut ultimatè omnis jurisjurandi ligamen ad Scripturas abeat, quia scripta illa Symbolica cum eadem consentiunt: *in tantum, inquit D. König in cas. Consc. quem & hic & in præced. omnino videas, p. 683. seqq. ut sublata Scripturæ & ejus conformitate, ne articuli tales quidem conscribi, multo minus juratò abs te asseverari potuissent; l.c. p. 690.* Si verò contingit, ut quædam in scriptis juratis defendenda & explicanda sint, tum non hærendum in ipsis articulis, & ex iis responsio aut explicatio petenda; sed regrediendum ad scripturas, & scriptura ex scriptura explicanda: hæ autem de novo factæ explanationes, si iterum scripturæ conformes inveni-



veniuntur, autoritate publica Magistratus accedente, non sunt indignæ, ut jure eodem cum prioribus libris fide juratâ suscipiantur.

§. V. Objiciunt II. ii, qui in specie nobis adversantur:

a.) *Libros Symbolicos non necessario requiri: sufficere enim consensum veterum universalem, ad quem provocandum. Dum ergo libri Symbolici ne quidem necessarii, facile concedi posse, ut vel prorsus non, vel tamen hypotheticè in eos juretur.* Resp. Siccine nos ducis, Calixte, à via in silvam, à portu in pelagus? Libri Symbolici non quidem sunt necessarii necessitate essentialis & absoluta, ut Philosophi loqui amant: Verum non consultum erat Ecclesiæ ut modò quocunqve esset; sed ut etiam in bono, quantum fieri posset, statu esset, quem nisi mediante certo medio, quo à falsa Ecclesia segregaretur, Reformatio & concordia promoveretur, obtinere non poterat. Sunt ergo scripta Symbolica necessaria necessitate expedientis & conditionata. Nullo enim modo ex consensu Patrum veterum Ecclesiæ Reformatio aut concordia speranda erat. Egregiè hac de re disserit *Lutherus in libro de Conciliis eorumqve autoritate Tom. VII. Jen. Germ. ad A. M. D. XXXIX.* Ich habß versucht/ ait, ich habe der Väter Schrifften auch gelesen/ich halt es für ein unmöglich Ding/ daß man eine feine Reformation der Lehre/ aus der Väter und Concilien zusammen gezogenen Schrifften vornehmen wolle. Denen andern/ so es recht gut meynen/ als die da hoffen/ (wiewohl vergeblich) es könnte vielleicht solche feine Reformation ihres Dünkens nach/ aus denen Vätern und Concilien wohl geschehen/ ob der Pabst gleich nicht wolte/oder noch hindern wolt: will ich wiederumb guter Meynung also antworten/ daß ichs für ein unmöglich Fürnehmen ansehe/und fürwahr nicht weiß/ wie es anzugreifen sey: denn ich habe die Väter auch gelesen/und mit besserem Fleiß weder die / so jetzt durch sie wider mich trocken und stolzen. Rationes ego addidissim, nisi & in hac parte Megalander noster me sublevasset: pauca enim post verba l. c. pergit: Wir wollen Ursach anzeigen/ warumb solch Fürnehmen ein unmöglich Ding sey. Erstlich ist das offenbahr/ wie die Concilia nicht allein ungleich/sondern auch wohl wider einander sind/dergleichen eben die Väter auch: Solten wir sie nun zusammen bringen wollen/da würde gar viel ein grösserer Zank und Disputation sich erheben/ weder jetzt ist/ daraus wir nimmer mehr könnten kommen; denn nachdem sie in solchen gar ungleich und offft gegen einander sind/ so müsten wir erstlich das für uns nehmen zu arbeiten/





len/wie man das beste heraus klaubete/ und das andere fahren ließe! da  
 würde sich es heben. Einer würde sagen/will man sie halten/so halte man  
 sie gar oder halte nichts: der andere würde sagen / ja ihr klaubet heraus /  
 was euch gefällt/ wer will hie Schiedsmann seyn? Siehe an das De-  
 cret, darinn Gratianus eben solch Fürnehmen gehabt / das auch das  
 Buch darum heißet Concordantia Discordantiarum, das ist/er hat wol-  
 len der Väter und Concilien ungleiche Sprüche vergleichen/ die Wi-  
 derwärtigen vertragen / und das beste heraus klauben / und ist ihm ge-  
 rathen/ wie der Krebs gehet/ hat oft das beste lassen fahren / und das  
 ärgste behalten / und dennoch weder verglichen noch vertragen/ wie die  
 Juristen selbst sagen: Es stincke nach Ehr und Weis/ und ein Canonist  
 sey ein lauter Esel. Wie vielmehr solte es uns also gehen/ wo es darzu  
 käme/das wir aller Väter und Concilien Sprüche oder Weise wolten  
 zusammen stimmen/da wäre Müh und Arbeit verlohren und übel är-  
 ger gemacht. Und ich will mich in solche Disputation nicht begeben/  
 denn ich weiß/das kein Ende seyn würde / und zuletzt wir eitel ungewiß  
 Ding mit Schaden der vergeblichen verlohrenen Arbeit und Zeit behal-  
 ten müsten. *Nego itaqve cum B. Luthero, sufficere ad reformationem  
 & concordiam consensum Veterum: urgeo non auctoritatem Lutheri,  
 sed ejus adductas rationes; destruant illas si poterunt, aduersarii. Qvan-  
 quam ceteroqvin B. Hülsemannus acutissimè ad hæc Lutheri verba:  
 Ni fallor, inquit, fuit Martinus Lutherus Georgio Calixto & Conrado Hor-  
 nejo aliquando perspicacior! Experienciâ autem & prudentia, quid turbet  
 Ecclesiæ & Reipubl. quietem, quid seruet, tanto instructior, quanto Achil-  
 les Ther site. Si vidisset itaqve aut sperasset Lutherus, facilius transigi pos-  
 se, de tot voluminum diversis interpretationibus, pseudopigraphorum, cor-  
 ruptorum, interpolatorum discretionem à genuinis, authenticis & nativis SS.  
 Patrum scriptis, quam de Theopneustis paucis, perspicuis & divinis sermoni-  
 bus, non erat novis istis Machaonibus laudem reperta facilioris medendi  
 methodi relicturus.*

(β.) *Præstare libris Symbolicis Antiquitatis testimonia; illos enim esse  
 scripta recentiora.* Resp. Dupliciter possunt libri symbolici considera-  
 ri, vel quoad materiam vel quoad formam; quoad materiam seu dog-  
 mata, quæ continent, non cedunt antiquitatis prærogativa vel anti-  
 quissimo scripto: licet quoad formam, h.e. & phrasen & verba modum-  
 que scribendi concedimus esse recentiora; hoc autem nil derogat eo-

F

rum



rum authoritati publicæ. Ad casum autem illum quem Adversarii excipiunt: *Rectius scilicet & commodius pagano aut cuiusvis infideli & seducto probari veritatem dogmatum Christianorum è scripturarum & Antiquitatis testimoniis, quam ex autoritate recentium Symbolorum*: nota seqq. Alia est methodus paganis & infidelibus veritatem dogmatum Christianorum demonstrare; alia, certas formulas præscribere, juxta quas Magistratus in suis ditionibus vult proponi verbum Domini. Non prius intenditur per libros Symbolicos, sed posterius. Id enim corpus Julium & formula Concordiæ clarè & apertè testantur: *Quod conditores & promulgatores istorum Libb. posuerint limites doctrinæ publicæ, quam in Provinciis suis sonare jubeant & permittant. vid. B. Hülsem. l. c. p. 127. & Osiandrum l. c. p. 19.*

γ.) *Hac ratione, nisi liberum sit addere talem exceptionem, Magistratum prætextu Religionis suis subditis posse laqueum injicere, eosque ad suam fidem adstringere, sive ea vera esset, sive falsa: unice ex isto fundamento, quo sibi integrum esse, asserat, juramentum Religionis quacunque ratione vellet, imponere, & ita fore ut extorqueantur quasi subscriptiones ab Imperiis.* Resp. (1.) Distingvendo inter potestatem Magistratus aliquid proponendi absolutam & restrictam. Ubi nostrum præsuppositum maneret, quod tamen tota dissertatione ursumus, concordare libros Symbolicos cum sacris literis? Ad has igitur restricta Majestatis cujusvis potestas: Nihil scilicet sub jurisjurandi religione Magistratus subdito imponere potest credendum, quod scit à verbi divini purissimo fonte abire, & aliud quid præter spiritum oris Domini sapere. (2.) Resp. Negando & pernegando, extorqueri subscriptiones. Cui enim non liberum relinquitur aut subscribere, aut si nolit, functione carere?

δ.) *Conscientiam jurantis sic perpetuæ captivitati tradi, quippe ne à minimo, quod juraverit, dissentire ausam, licet deprehendat aliquid sacris literis minus congruum: Atque sic præscindi simul veritatis studium; in iis enim eum semper habere oportere, in quæ juraverit.* Resp. (1.) Non concedendum esse, ex jurejurando in libros Symbolicos sequi, hominis conscientiam tradi captivitati: potius contrarium ex ipsissimis juramenti superius positi verbis constat. Tantum ergo abest, ut, si quis de alterius alicujus doctrinæ, quam quæ in libris Symbolicis statuitur, veritate in conscientia convictus fuerit, illam reticere & conscientiam suam lædere cogatur: ut potius juramento obligetur, suam Magistratui men-

tem



tem aperire, eiqve rem tractandam permittere. Sic enim sonant verba: Do auch Gott verhängen möchte/ daß er doch gnädiglich abwenden wolle / daß ich mich selbst durch Menschen-Witz und Bahn von solcher reinen Lehre und Erkänntniß Gottes/ entweder zu den Papisten/ Calvinisten oder andern obbemeldter reiner Confession widrigen Secten/abwenden würde; solches an gehörigen Ort ungeschueet anmelden/ und ihrer Churfürstlichen Durchlauchtigkeit fernere Verordnung und Resolution hierinnen erwarten; Ganz treulich und sonder Befehde. Hocine est cancellis constringere conscientiam, eam captivitati tradere? Quin unusquisque in officio publico constitutus, hoc ipso tenetur, conscientiam suam liberè & apertè profiteri. Nec (2.) periculum est, sic veritatis studium tolli. Quærat enim aliquis veritatem noctesque diesque; id citra ullam Augustanæ Confess. & reliquorum librorum Symbolicorum jacturam fiet. Nil enim nisi verum in illis reperitur, & falsitatem quandam in iisdem demonstrare, hoc opus hic labor erit. Etposito, (per impossibile,) inveniatur aliquid. Juramento erit solutus. Nam licebit utique veritatem repertam apprehendere & juramentum prius rescindere salva conscientia. Jurandum enim est in iustitia, *Jer. IV. 2. h. e. de re, quæ honestè & studiosè potest impleri; interprete Suariorum Tom. II. de virt. & statu Relig. p. 280.* Tale autem quid non esset falsitas deprehensa & ex verbo divino clarè demonstrata. Agnovit ex hoc principio (quod obiter addimus,) nostræ sententiæ veritatem ipse Becanus, (utut aliàs Pontificii fulmina prægrandia in nostrum B. Lutherum mittant, quòd missâ Romano-Catholica religione renovatam atque purgatam ab erroribus DEI gratia introduxit, cum tamen in priorem juraverit;) quando *Tom. II. Opusc. in Tortur. Tort. parad. XII. p. 545.* ait: *An putas nemini integrum esse mutare religionem, si juraverit, se non mutaturum? At si falsa sit religio, quam juravit se servaturum, quid tunc aget? Persistet potius in falsa religione, quam juramentum violet? cave dixeris.* Quamquam D. Königius de hoc casu *l. c. p. 691.* piè sequentia annotat, dum: *Cave inquit, intermittas, quin Deum tunc ardentè invoces, ne tibi imputet, quod cum olim velex superiorum importunitate, vel Ecclesiasticorum malignitate, vel ex proprii judicii imbecillitate in aliud Juramentum consenseris, nunc re penitus perspectâ per Dei Gratiam rescissum velis, ne tuam salutem sufflamine stringas.*





§. VI. Et hæc sunt L. B. quæ de juramento in Libros Symboli-  
cos categoricè præstando differere volui. Si Tibi placuerint, mihi gratu-  
labor: sin minus; ob rationes ab initio datas certam sperabo veniam.  
DEUS interim servet veritatem verbi sui in sacris literis revelatam, in  
Libris Symbolicis repetitam & Adversariis oppositam. Faxit, ut Ec-  
clesia orthodoxa in sua fide vera indies augeatur & confirmetur: Hanc  
scilicet veritatem nec portas inferorum destructuras. Pro qua singu-  
lari, quam dabit certissimè, gratia uti ipsi æternam decantabit quisque  
pius gratias, ita ego Eidem jam decerno sempiternam pro con-  
cessis viribus

LAUDEM, HONOREM  
ET GLORIAM.

Sphalmata extantiora. Legendum ni-  
mirum est:

- 1.) In Præfat. pag. 1. lin. 10. *Cent. I. L. II.* pro, *Cent. I.* Confer verò  
cap. V. ibid.
- 2.) In Sect. I. cap. 2. §. 4. *Carolus V.* pro, *Carol. VI.*
- 3.) Ibid. §. 6. lin. 10. *privari*, pro, *jurari.*
- 4.) Ibid. §. 11. Lit. C. b. lin. antepenult. *ad verum dicendum*, pro,  
*dicendum.*



Ad



Ad  
Doctiff. hujus Disputation. Autorem,  
**DN. ANDR. ELERS,**  
Auditorem, Inquilinum & Consalinum;  
nec non  
Respondentem hodiè Meum, semper  
Dilectissimum.

**M**agnæ molis erat, validè sacra condere jura:  
Addere sed pondus, Maxima cura fuit.  
Præstitit id, mandans Ecclesia, juret ut omnis,  
Publica qui in Templo munera ritè capit.  
O quàm firma subit, quàm justa ligamina, qui se  
Obligat his, toto pectore & ore, modis!  
Idòve hïc demonstras doctò sermone: Quid inde  
Patria quidque Pater speret, Amice, Tuus?  
Fallor, an ipse sacrâ juratus in æde Minister  
Evades, Patriæ delictum atque Patris?

**D. Val. Alberti.**

**I**ngenium raris ostentas dotibus auctum,  
Quod quemvis præfens pagina docta docet.  
Uttere concessis, sic vult Deus, utere donis,  
Multa cies patriæ gaudia, multa Patri.

*Pereximio & Nobilissimo Disputationis hujus Auctori, Ami-  
co hæctenus meo & Auditori honoratissimo dilectissimo-  
que, de egregio eruditionis specimine gratulatus simulq;  
ulteriores ingenii nobilissimi à clemente Deo concessi  
fructus felissimos comprecatus bono omine scribebam.*

**M. Johannes Günther / SS. Th. Baccal. &  
Diaconus ad D. Thomæ.**

f 3

Quid



An das Welt-berühmte Hamburg.

**D**och theure Stadt/hier hastu deinen Sohn:  
Er will durch einen End die Glaubens-Bü-  
cher lieben/

Drumb hat Er dieses Blat mit höchsten  
Fleiß geschrieben.

Er ist parat! gieb du Ihm nun den Lohn.

Ganz Leipzig weiß von seinem Fleiß zu sagen:  
Man darff allhier das Fürsten-Haus nur fra-  
gen:

So heists: Herr Elers trägt den größten Ruhm  
davon.

Welches benebenst herglichem Wunsch bekennet

Tit. Ihro Hochw. Herrn D. Alberti

**S**ämtliche Tisch-Gesellschaft.

---

*Q*uid statuis? jurare licet? nego: cœlica jura  
furamenta volunt impia jure Deo.

Responde: opposui! Sed Symbola religionis

furando assumas non sine jure puto.

Jure licet! jurare potes: perjuria vita

In vita, & pius es: Sic Thesis ipsa sonat.

Opposui: Tu victor eris: Convenimus ambo:

Juravit Dominus: Te bona fata manent.

Id quod in conflictu devictus animitus Cl. Dno.

Resp. apprecatur

M. G. E. Bachrott/P.N.C.

& SS. Th. C

Nune



*Nunc patriam repetis; valeas mea Philyra dicis:  
Musa, Patroni, vivite Lipsiades!  
Sed prius exactè de scriptis differis, Elers,  
Symbolicis; sacrâ hac suscipienda fide.  
Gratulor hos ausus: iter & Tibi gratulor instans,  
Jova adsit studiis; Jova secundet iter.*

Hæc gratulabundus  
Nobilissimo Dno. dissertationis hujus Autori  
de cathedra ad iter properanti  
Imqve apposuit

M. Joh. Casp. Kleibert.






Mr. Job. Christoph. ...  
Gentilior hoc ...  
Forte ...  
...
















Q. D. B. V.  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
De  
PRÆSTANDO  
Categoricè  
in  
LIBROS SYMBOLICOS  
JURAMENTO;

Quam  
*Indultu Summè Reverendæ Facultatis  
Theologicae,*  
SUB PRÆSIDIO  
*VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI  
ATQVE EXCELLENTISSIMI*  
DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.  
Consistorii Electoralis & Ducalis, nec non Fa-  
cultatis Theologicae Assessoris gravissimi, Academiae Decem-  
Viri, Alumnorum Electoralium Ephori, Collegii B. Mariae Virgi-  
nis Collegiati, & Polonicae Nationis  
Senioris,  
*Domini Patroni, Hospitis, ac Studiorum suorum Promotoris, omni observantia  
cultu ad cineres usque devenerandi,*  
publicè ventilandam proponit

AUTOR ET RESPONDENS  
ANDREAS ELMERS, Hamb.

Anno M. DC. XC. d. XIV. Julii,  
H. L. Q. C.

LIPSIÆ, TYPIS GOEZIANIS.